HISTORIA INQUISITIONIS, P. PAULI VENETI.

CUI

Adjuncta est Confessio Fidei,

Quam ex Italicâ Linguâ

Latinam fecit

ANDREAS COLVIUS.



ROTERODAMI,

Typis *ARNOLDI LEERS*. 1651.

Nobiliss. præstantissimo viro,

D. ANTONIO VIVIANO,

Bovigni Domino.

QUANTO & quam excellenti ingenio vir fuerit P. Paulus Venetus, norunt unà omnes, qui bonas literas norunt. Indicio atque argumento ad eam rem est Concilii Tridentini Historia Italico sermone ab eo scripta, editáque sub nomine Petri Suavis Polani; quam propter eruditam argumenti minimè vulgaris tractationem in Gallicum sermonem transtulit maximus Deodatus, ὁ μακαρίτης; in Latinum, Anglicum, Belgicumque alii atque alii: ut minimè mirandum sit Romani Pontificis Purpuratos pro se quemque eam sibi expetivisse, legisséque quam ille ingenii singularis atque incorruptæ fidei homo ex archivis Venetum expressam

ſic extulit, ut quod imprimis arduum, facta dictis exæquaverit. Fabricam ſtructurámque humani corporis quam exactè habuerit ſibi cognitam Fabr. Aquapendens teſtatur in eo libro cui Titulum fecit, De Oculo: Vbi ſummus hic Anatomicus ultrò fatetur primum & principem ſibi oculos aperuiſſe hunc Paulum, ut videret, contrahere ſe atque explicare, ſic exigente naturâ, pupillam oculi. Illud etiam pro certo poſſe affirmare Mathematicarum ſe diſciplinarum atque imprimis optices peritum magis in vitâ vidiſſe neminem. Ampliſſimum etiam Paulo virtutis & eruditionis teſtimonium perhibet G. Gilbertus libr. 1. de Lapide magnetico, ſuper quo multa occulta hic noſter invenit. Vt etiam de eo teſtatur Ioh. Baptiſta Porta Neapolitanus libr. 7. de Magiâ naturali, cujus hæc ſunt verba: Venetiis cognovimus R. M. Paulum Venetum, à quo aliqua didiciſſe non ſolum fateri non erubeſcimus, ſed & gloriamur, quùm eo doctiorem ſubtilioremque, quotquot adhuc videre contigerit, neminem cognoverimus, natum ad encyclopediam:

diam: non tantùm Venetæ urbis aut Italiæ, ſed orbis ſplendor & ornamentum. *Qui plura de hoc viro deſyderat, is legat ejus vitam à Doctiſſimo P. Fulgentio deſcriptam, qui literis nuperrimè ad me datis, teſtatur multa adhuc Pauli manuſcripta doctiſſima in archivis Reipubl. Venetæ aſſervari.*

Τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ, ſive ut ipſe loquitur, Arcana Papatus, ab ipſomet compoſita, quæ mihi adhuc ſervo, publica fieri poſſent, ſi ipſis ultima manus impoſita foret. At verò quàm profundè penetraverit in arcana Politicorum & Eccleſiaſticorum etiam abditiſſima, teſtis eſt locuples hæc Inquiſitionis Hiſtoria, quam ex Italicâ Latinam feci. Qui verò ſenſus, quæque illius meus fuerit in Sacroſanctæ Fidei negotio & profeſſione, hæc ipſa fidei Chriſtianæ Confeſſio fidem facit, quæ ipſa cum unâ Venetiis eſſemus (ego tunc à concionibus domeſticis Ampliſſimi Nobiliſſimíque Legati Ordd. D. D. Berckii) ſub nomine P. Pauli ab ipſis Senatoribus Venetis, & Prælatis cum fructu lecta & approbata fuit. Hæc quæ tamdiu ma-

nuscripta latuit, jam meâ operâ in lucem prodit: tibique meritò offertur, Virorum Optime. Tu verò hoc animi mei pignus æquo animo accipe, & me in perpetuum ama.

Scribebam Dordrechti VI. Nonas Maji. Anno 1651.

ANDREAS COLVIUS.

Epita-

Epitaphium

P. PAULI VENETI.

PAulus Venetus Servitarum
ordinis Theologus,
Ita prudens, integer, ſapiens,
Ut majorem nec humanorum
Nec divinorum ſcientiam,
Nec integriorem nec ſanctiorem
vitam deſiderares:
Intelligentiâ per cunctâ permeante,
Sapientiâ affectibus dominante
præditus,
Nullâ unquam cupiditate commotus,
Nullâ animi ægritudine turbatus,
Semper conſtans, moderatus, perfectus,
Verum innocentiæ exemplar,
Deo mirâ pietate, Religione
Continentiâ addictus:
Tantis virtutibus,
Reipublicæ in ſui deſiderium
Concitatæ juſtam fidelem operam
navans:
(Religioſum hominem dum PATRIÆ
ſervit, haud à Deo ſeparari
Exiſtimans)
Summâ conſilii rationis vi liberâ,
Integrâ mente publicam cauſam
defendens,

Magnas

Magnas à libertate Venetâ
Insidias suâ sapientiâ
Repellens,
Majus libertatis præsidium in se,
Quam in Arcibus, Exercitibus
pósitum,
Venetis ostendens,
Mortales,
An magis amandus, mirandus,
Venerandus,
Dubios faciens
De nominis apud *probos*
Æternitate
De animi apud *Deum*
Inmortalitate
Securus,
Morbum negligens,
Mortem contemnens,
Loquens, docens, orans,
contemplans,
Vivorum actiones exercens,
L x x i. Æt. anno
Magno bonorum ploratu,
Non obiit, abiit è vitâ, ad vitam
Evolavit.

Io Ant. Venerio Patr. Ven.

HISTORIA INQUISITIONIS,

Speciatim VENETÆ, & quibus de causis Seren. Resp. Veneta diversa decreta sanxerit circa hanc materiam.

Ad Serenissimum Ducem Venetiarum,
LEONARDUM DONATUM,
Fr. Paulus Venetus Servita.

DUM adimpleo reverenter mandata serenitatis vestræ, in colligendis & ordinandis iis quæ spectant officium Inquisitionis contra hæresim: Comperio omnia temporibus superioribus à Serenissimâ Repub. tàm prudenter in ordinem redacta esse; ut nihil supersit hoc tempore, quam colligere in

unum ea quæ propter diverſas occaſiones determinata fuêre. Hoc præſtantes ſuper quo conſultavêre Excellentiſſimi Decemviri, cum adjunctis, anno 1550. 22. Nov. c. 8. videlicet ut proceſſus ſit uniformis per omne dominium Venetum, quemadmodum in hâc inclytâ civitate obſervatur; ut antehac conventum eſt inter ſummum Pontificem Julium III. & Sereniſſimam Remp. Anno 1551. c. 8. & 19.

Quod ipſum facilè fiet, prout mihi videtur, ſi ordinationes, quæ diverſis temporibus factæ ſunt, reducantur in certa Capita, & formetur primo aliquot Capitulare, in quo tanquam in compendio videbitur quænam ſint neceſſaria obſervatu, & poterunt exhiberi capita ſeorſim, aut conjuncta cum dictis conſultationibus, prout meliùs videbitur.

Primùm in unum colligam ſumma Capita, poſtea adjungam conſiderationes & cauſas, quare principio ad honorem Dei ſic inſtitutum fuerit, propter quem

quem etiamnum necessariò hæc sunt continuanda, ad stabilimentum sanctæ Religionis, & publicæ tranquillitatis.

CAPUT I.

QVemadmodum in Venetiâ publico & antiquo Senatus decreto sunt tres Senatores Deputati Inquisitores contra hæresim, ad assistendum super omnibus quæ fiunt à fratribus Inquisitoribus: Sic etiam in omnibus aliis civitatibus hujus Dominii Rectores præsentes esse oportere ad formationem processus quæ fit ab Inquisitoribus.

CAP. II.

Si quando Rectores civitatum propter legitima impedimenta non poterunt iis assistere, hoc ipsum præstent per Vicarium potestatis, aut alium Curialem.

CAP. III.

Quod nemo Rectorum, qui intimam colit familiaritatem cum Romanis, assistat in prædictâ formatione processus.

CAP. IV.

Quod officium Aßistentium sit tantum aßistere, nihil aliud agendo. Quod si dubium nascatur, idipsum communicare Principi.

CAP. V.

Quod Aßistentes non præstabunt juramentum fidelitatis aut silentii Inquisitoribus.

CAP. VI.

Quod Rectores rationem Principi reddere debebunt de singulis, quæ omni tempore in officio Inquisitionis transiguntur.

CAP. VII.

Quod iidem Rectores mortem Inquisitoris, aut quâ de caussâ ejus mutatio facta, significabunt Principi, aut Legato qui Romæ degit.

CAP. VIII.

Quod Rectores in civitatibus ubi gubernant, nullum admittent Inquisitorem, sine literis Principis.

CAP. IX.

Quod Rectores aßistent non tantùm caussis

sis sæcularium, sed etiam Ecclesiasticorum, & Regularium, licent sint Monasterii Inquisitoris.

C A P. X.

Quod Rectores non permittent actum ullum post denuntiationem, absque ipsorum præsentiâ.

C A P. XI.

Etiamsi Inquisitores omne negotium ipsis communicaverint, attamen ubique præsentes erunt.

C A P. XII.

Quod si Ecclesiastici sine ipsis processum formaverint, Rectores eundem resumant ipsis præsentibus.

C A P. XIII.

Quod ipsum etiam præstabunt, etiamsi processus mittendus sit extra Dominium.

C A P. XIV.

Quod in processu mentio fiat assistentiæ Rectoris, aut ipsius locum-tenentis.

CAP. XV.

Quod in processu nulla ponantur decreta aut præcepta quæ foris mittuntur.

CAP. XVI.

Quod nec processus nec captivi extra dominium mittantur, inscio Principe.

CAP. XVII.

Quod Vicarius Prætorius, aut alius Curialis, qui sunt aßistentes, non sint consultatores.

CAP. XVIII.

Quod Rectores nullam permittent detentionem, antequam processus sit formatus.

CAP. XIX.

Quod non permittent ut Inquisitio tractet de sortilegiis, & vaticiniis, nisi contineant hæresin.

CAP. XX.

Quemadmodum & circa incantationes & fascinationes.

CAP. XXI.

CAP. XXI.

Quod blasphemia ordinaria non judicabitur ab Inquisitione, nec percussiones imaginum, nec irrisiones quæ fiunt cantandis Psalmis, aut Litaniis impudicis.

CAP. XXII.

Quod peccatum bigamiæ non pertinet ad Inquisitionem.

CAP. XXIII.

Quod Assistentes non permittent Inquisitionem tractare caussas usurarum.

CAP. XXIV.

Quod Inquisitio nullâ de caussâ procedet contra Iudæos, & Infideles.

CAP. XXV.

Quod nec Inquisitores procedunt contra Græcos.

CAP. XXVI.

Qui æstimatur peccasse trans Alpes contra fidem, non citabitur per proclamatorem, nec per affixas literas.

CAP. XXVII.

Quod Inquiſitio non poterit publicare bona condemnatorum.

CAP. XXVIII.

Quod non promulgabitur bulla, ne quidem ex edicto congregationis Romanæ, ſine permiſſione Principis.

CAP. XXIX.

Quod Inquiſitio non poterit prohibere impreſſionem alicujus libri, de quâcumque materiâ, niſi obſervatis conditionibus contractus.

CAP. XXX.

Quod Inquiſitio non imperabit Magiſtris aut Profeſſoribus ſæcularibus.

CAP. XXXI.

Nec Artifices cogentur jurare Inquiſitoribus.

CAP. XXXII.

Quod Inquiſitor nec præcepta nec monitoria dabit Sodalitiis aut Jus-dicentibus.

CAP. XXXIII.

Inquiſitores non promulgabunt edictum,

quod

quod continet plura quam ſex capita ordinaria.

CAP. XXXIV.

Quod caſus qui occurrent in vicis aut pagis, tractabuntur in civitatibus quibus ſubjiciuntur.

CAP. XXXV.

Quod ſi caſus occurrat in loco ubi Inquiſitio propriè non eſt, mittetur reus in locum, cui ſubjectus eſt quoad ſpiritualia.

CAP. XXXVI.

Quod contumaces in exilium mittentur definitivè aut pro tempore, prout viſum fuerit Inquiſitoribus.

CAP. XXXVII.

Quod Inquiſitores proſcribent fugientes è carcere ipſorum, prout viſum ipſis fuerit.

CAP. XXXVIII.

Quod inquiſiti aut in jus vocati hæreſeos cauſſâ ſugientes in hoc dominium, condemnentur per quatuor annos in carcere, ſeparato ab aliis.

CAP. XXXIX.

Quod Inquisitio puniet calumniatores & falsos testes, quando falsitas apparebit ex ipso processu, alioqui tanget ipsos Rectores.

Ecce, Sereniſſime Princeps, compendium triginta novem capitum prædictorum.

Jam ſupereſt ut ob oculos ponam Serenitati veſtræ, rationes horum omnium. Sed antequam hoc fiat, neceſſe erit, ut ſolidè diſcurram, me narrare quando, quomodo, & propter quam cauſſam in Chriſtianiſmo inſtitutum fuerit officium Inquiſitionis; & quo tempore & quali modo admiſſum fuerit in hâc inclytâ civitate Venetâ.

Quocirca hinc incipiens dicam, etiamſi hæreſes divinâ permiſſione ſeminatæ fuerint in mundo, ut exerceantur aut probentur boni Catholici, eo ipſo tempore quo incæpit ſancta Eccleſia, videlicet ab aſcenſione Domini noſtri in cœlum: Attamen particulare officium Inquiſitionis contra hære-

hæreticos non incepit nisi post annum millesimum ducentesimum.

Sancti Apostoli contra hanc pestem, hoc remedium reliquêre, hæreticum admonendum esse unâ alterâque vice; quod si perseverasset in obstinatione suâ, Catholici separabant sese ab ipsius consortio, eumque excommunicabant.

Duravêre hæc usque ad tempora Constantini, qui fidem Christianam amplexus est, quem imitati sunt ejus successores. Tunc temporis à sanctis edocti Principes, quod prout Christiani, & prout Principes, Deo serviendi ipsis necessitatem incumbere. Tanquam Christianis, observanda ipsis esse præcepta divina, ut quibusvis privatis. Sed tanquam Principibus divinæ Majestati ipsis serviendum esse, in rectè ordinandis legibus, in subditis ad pietatem, honestatem & justitiam, in castigandis transgressoribus mandatorum Dei, præsertim Decalogi. Quoniam qui peccant contra primam

tabulam, quæ ſpectat honorem Dei, ſunt pejores illis qui peccant contra ſecundam, quæ reſpicit juſtitiam circa homines: quocirca magis teneri Principes punire blaſphemias, hæreſes, & perjuria; quam homicidia & furta. Quâ de cauſsâ contra hæreſin multas dedêre leges, quæ poſtea in codices Theodoſii & Juſtiniani relatæ fuêre, imponentes reis pœnas pecuniarias, exilia, privationes aut ex parte aut omnium bonorum, ſecundum circumſtantias delictorum, quarum legum executionem commiſêre ipſorum miniſtris ſæcularibus.

Omne judicium criminale tres partes continet: cognitionem rationis delicti; cognitionem facti; & ſententiam. In judicio hæreſeos cognitio rationis eſt, ſi talis opinio ſit hæretica, vel non. Cognitio facti, ſi talis perſona quæ accuſatur aut defertur, defendat, aut teneat, aut indicium dederit ſe habere talem opinionem. Sententia conſiſtit, in abſolvendo à tali imputa-

putatione innocentem, & in condemnando ſontem. Prima cognitio, videlicet, quænam opinio ſit hæretica, ſemper fuit fori Eccleſiaſtici, nec ullo modo poteſt pertinere ad ſæculare. Et ſi quando eo tempore naſcebatur difficultas ſuper aliquâ opinione, Imperatores inquirebant judicium Epiſcoporum, & ſi quando neceſſitas urgeret, Concilium congregabant. Sed cognitio facti, nempe, ſi is qui accuſabatur, eſſet innocens, an culpæ compos, ut ipſi pœnæ imponerentur ſecundum leges ordinatas; & ſententia abſolutionis & condemnationis; hæc omnia ſpectabant ſæculares.

In eo tempore ſancti aliqui Epiſcopi & Prælati, poſtquam declarâſſent opiniones hæreticas, & qui eas mordicus tenerent, excommunicaſſent, & anathemate dignos judicaſſent, non ampliùs ſeſe immiſcebant huic negotio; nec audebant hæcce Magiſtratibus revelare, exiſtimantes non eſſe hoc opus perfectæ charitatis. Alii videntes

dentes timorem Magistratuum superare pertinaciam obstinatorum, & efficere, quod non posset amor veritatis: existimavêre officii ipsorum esse personas hæreticas revelare Judicibus sæcularibus, & ipsorum pessimas opiniones; eosque instigare ad executionem legum Imperialium. Sed quia interdum concionator hæreticus insignes turbas movebat, Judices considerantes magis seditiones quam hæresin, ulteriùs procedebant ad pœnas capitales. In tali casu Ecclesiastici non sistebant sese coram Tribunali; sed semper bonâ fide agentes, Judices rogabant ne delinquentibus pœna sanguinis imponeretur. Sanctus Martinus in Galliâ excommunicavit Episcopum, quod apud Maximum, Imperii usurpatorem, accusasset aliquos hæreticos, qui postea ab eo ad mortem condemnati sunt. Sanctus Augustinus, zelator magnus pro puritate Ecclesiæ, ut eam purgaret ab his zizaniîs; frequenter & sollicitè admodum agebat

erga Proconſules, Comites, alioſque Miniſtros Imperii in Africâ, ut exequi vellent leges Principum, indicabat ipſis perſonas, & loca ubi hæretici habebant conventicula. Quando autem Judices videret tendere ad effuſionem ſanguinis, eos rogabat propter miſericordiam Dei, & amorem Chriſti, & ſimiles obteſtationes, ut deſiſterent à pœnâ ſanguinis. In Epiſtolâ ad Donatum, Africæ Próconſulem, apertè dicit, quod ſi ipſi perſeverent in privandis hæreticis vitâ, Epiſcopis eos amplius non indicaturos eſſe atque ita ignotos impunitos manſuros, legeſque Imperiales ſine executione. Quod ſi procedant benignè, & ſine pœnâ ſanguinis, ipſos vigilaturos in detegendo & notificando ad miniſterium Divinum & executionem legum.

Hoc pacto tractatæ fuerunt res in Eccleſiâ, & cauſſæ hæreſeos ſub Imperio Romano, uſque ad annum noſtræ ſalutis 800. Quando diviſum fuit Imperium Occidentale ab Orientali, ſu-

perstes mansit hæc forma in Orientali, ad ejus usque finem.

In Occidentali non habuêre necesse Principes condere leges, nec multùm laboravêre super hâc materiâ: quandoquidem à trecentis annis, qui effluxere ab octingentesimo ad millesimum centesimum usque rarissimi inventi sunt hæretici in hisce partibus: & si quando casus aliquis occurrebat (qui rarissimus fuit) eum Episcopus judicabat, prout cum Ecclesiasticis procedere solebat, qui festa violassent, jejunium non observassent, &c. judicantes & castigantes ipsos in iis locis ubi Principes ipsis jus dicere permittebant. Sed ubi talem auctoritatem non habebant, invocabant brachium sæculare, ut eos castigarent.

Post millesimum & centesimum annum emerserunt innumeri hæretici, ob opinionum diversitates, quæ fuerant ante 50 annos inter Pontifices & Imperatores; usque ad annum millesimum ducentesimum, quo tempore

omnia bellis & ſcandalis plena fuêre, & vita non admodum religioſa cleri; quorum hæreſes pleræque natæ ſunt contra Pontificis auctoritatem. In quibus temporibus, propter multitudinem talium peſtium, omnem modum excedentium, neceſſitas impoſita fuit eas tolerandi. Epiſcopus, procedebat in hiſce cauſſis, prout poterat, ut in aliis ſupradictis: Et Pontifices Romani crebis literis ipſos hortabantur, & excitavêre ad debita; neque ante annum milleſimum ducenteſimum auditum fuit nomen Inquiſitionis, aut Inquiſitoris contra hæreſin. Sed cùm Epiſcopi aut ipſorum Vicarii non tàm idoneos aut diligentes hâc in parte ſeſe præberent quam Romani Epiſcopi deſiderabant: opportunè fuere inſtituti ordines Religionis S. Dominici & S. Franciſci, inter quos multi docti ejus ſæculi fuêre, maximéque zeloſi, ad ſuſtinendam Eccleſiam Romanam, & auctoritatem Pontificiam; quibus uſi ſunt Pontifices, ut hæreticos præ-

dica-

dicationibus ſuis converterent, exhortantes Principes, populumque Catholicum, ut perſequerentur obſtinatos, inquirentes in omni loco quo numero & quales eſſent hæretici; quis zelus Catholicorum, quanta diligentia Epiſcoporum, & hæc omnia Romam deferebant. Unde nomen Inquiſitorum ipſis impoſitum. Interim nullum habuêre tribunal, ſed interdum Judices eò perduxêre, ut exilio vel aliâ pœnâ hæreticos mulctarent. Interdum aliquem è potentioribus armis contra eos agere perſuaſerunt. Interdum populum excitavêre, crucem ex panno veſtibus imponentes, ſeſe devoventibus, qui in unum collecti conducebantur ad exſtirpationem hæreticorum. Hoc ipſum duravit per 50 annos, nimirum ad annum 1250.

Incepto horum Patrum Inquiſitorum inſignes ſuppetias tulit Fridericus II Imperator, qui anno 1244, Patavii promulgavit quatuor Edicta ſuper hâc materiâ; dum ſub tutelâ

Im-

Imperatoris recipiuntur Inquisitores, ignis pœna hæreticis obstinatis imponitur, pœnitentibus, perpetui carceres; horum omnium examen Ecclesiasticis committitur, Judicibus autem sæcularibus condemnatio. Et quidem fuit illa prima lex quæ hæreticis pœnam mortis imposuit: quæ fructum bonum non protulit ad exstirpandas hæreses introductas, propter acerbas discordias quæ postmodum nascebantur inter Imperatorē tresque sequentes Pontific. quibus, perpetuis bellis & dissensionibus distractis, hæreses profundiores radices egêre, & latiùs sese extendêre, Tandem mortuo, supradicto anno, Imperatore Frederico, dum in Germaniâ res sunt confusæ, & in Italiâ interregnum per viginti tres annos durat, Pontifex Innocent. IV, post mortem Imperatoris quasi arbiter remanet in Longobardiâ, & in aliis partibus Italiæ; hic jam tum animum applicare cæpit ad exstirpationem hæreseos, quæ magnos progressus fecerat

rat propter præteritas turbas. Et considerans quid antehac hâc in parte præstitissent Fratres Dominicani, & Franciscani, summopere diligentes, non metuentes personas nec pericula; hoc etiamnum unico remedio usus est: eosque misit non tantùm ad prædicandum, aut ad congregandum cruce signatos, aut ad executiones extraordinarias: sed impertiens ipsis auctoritatem stabilem, tribunal perpetuum, quod super hoc negotio tantùm curam haberet. Huic rei duo sese opponebant. Primum erat quo pacto sine confusione separari possent caussæ hæresios à foro Episcopi, quod semper eas judicaverat, & quomodo super hâc re jam possit constitui officium proprium. Alterum erat, quomodo excludi possit Magistratus sæcularis, ad quem spectabat punire hæreticos, secundum antiquas leges Imperiales, & nuperrimas Frederici, & secundum propria statuta, quæ singulæ civitates cogebantur observare, nisi præcipites se da-

re velinc ob maximos tumultus. Quod ad primum tale adinvenit remedium Pontifex, ut unum tribunal componeret Inquiſitor & Epiſcopus, in quo tamen Inquiſitor non ſolùm primus, ſed totus, Epiſcopus autem nomine tenus ſederet.

Et ut ſpeciem aliquam auctoritatis ſæcularibus relinquere videretur, nominare permiſit illis Miniſtros Inquiſitionis; ſed ex quibus ipſi Inquiſitores aliquos eligerent. Si quando Inquiſitor per vicos incederet, ei adjungebatur aſſeſſor, ſed electus ab ipſo Inquiſitore: in commune transferre tertiam partem bonorum Fiſco addictorum: & ſimilia talia, quæ Magiſtratum collegam cum Inquiſitoribus in ſpeciem facere videbantur, ſed revera ſervum. Supererat nummos colligere pro expenſis circa incarceratos, & ipſorum alimonia, quocirca hæc è publico ærario ſumenda, ſtatutum fuit; & ſic obſervatum Brixiæ anno 1251. & deputati fuerunt in Longobardiâ

Fratres S. Dominici Inquisitores, in regione Flaminiâ & Marchiâ Tarvisinâ. Post septem menses bullam scripsit Papa ad omnes Rectores, concilia & sodalitia harum trium Provinciarum, præscribens ipsis 31 capitula, quæ observare deberent ob prosperos successus hujus novi officii, jubens capitula referri inter publica statuta, quæ observare deberent inviolatè. Auctoritatem dans Inquisitoribus excommunicandi non observantes ea. Neque tunc temporis Pontifex ulteriùs extendit Inquisitionem neque intra neque extra Italiam. Quia tres supradictæ Provinciæ, prout ajebat, erant in ejus conspectu, & admodum amatæ ab eo. Sed vera caussa fuit, quia in hisce magnâ pollebat auctoritate, utpote destitutis Principe, omnesque civitates singulare regimen habuere, & in iis Pontifex multos sibi addictos habuit ob ultima bella. Nihilominùs non tam facilè admissum fuit hoc Edictum: unde Alexander IV. ejus successor

ceſſor poſt ſeptem annos, nimirum anno 1259 coactus fuit hâc in parte moderamine uti, Edictumque interpolavit. Jubens nihilominus Inquiſitoribus, ut Rectores cenſuris conſtringerent ad ejus obſervantiam. Eâdem de cauſsâ Clemens IV, poſt ſex annos, nempe 1265 eodem modo idipſum interpolavit: neque tamen penitus obſervatum fuit, ita ut adhuc quatuor ſequentes Pontific. ſuperare non potuerint omnes difficultates, quæ undique obſtabant ne uſquam reciperetur officium. Hæ naſcebantur duabus de cauſſis. Prima erat, temeraria ſeveritas Fratrum Inquiſitorū per extorſiones, aliaque gravamina. Altera, quia ſodalitates ſumptus ferre recuſabant: quocirca tandem concluſum fuit, non debere prætendi, hos è publico ærario petendos eſſe. Et ut temperarent nimium rigorem Inquiſitorum, partem aliquam adſcripsêre Epiſcopo: quâ de cauſsâ non tam difficulter introductum fuit officium in regionibus Longobar-

gobardiæ , Flaminiæ & Tarvisinæ , postea etiam in Tusciâ : transiit etiam in Arragoniam , & aliquas civitates Germaniæ & Galliæ. In regno autem Neapolitano introductum non fuit , quia non erat reciprocus affectus inter Pontificem, & Regem ejus Regni. E Galliâ & Germaniâ brevi tempore ablatum fuit : Inquisitores ex iis locis expulsi fuêre ob nimium rigorem , & extorsiones : alii abiere, quia nihil ipsis negotii ibidem supererat. Pauci etiam restabant in Arragoniâ, neque enim in aliis Hispaniæ Regnis penetrare potuerunt.

Anno 1484, Rex Ferdinandus Catholicus , postquam exstirpasset Regnum Mahumetanorum in Granatâ, ad purgandum Regna propria, & uxoris Elisabethæ, à Mauris & Judæis tandem conversa ad religionem , erexit consentiente Pontifice Xisto IV , tribunal Inquisitionis , per omnia Regna Hispaniæ , Siciliæ & Sardiniæ , eâ formâ, quæ etiam nunc obtinet, quodque judi-

judicat non solùm eos quibus imputatur Mahumetismus aut Judaismus, sed & hæreses.

Forma quæ tunc introducta fuit & etiamnum observatur, hæc est: Rex nominat Inquisitorem generalem per Regna sua, eumque confirmat Pontifex. Cæterum Curia Romana non ulteriùs sese immiscet huic negotio. Inquisitor hic postquam nominatus est à Rege, & confirmatus à Pontifice, nominat ipse Inquisitores particulares pro singulis locis; qui tamen onus hoc suscipere non possunt, antequam sint approbati à Rege. Senatum etiam deputat Rex super hâc materiâ, in loco ubi est Curia, cujus Præses Inquisitor supremus. Et hic Senatus est summus in judicando: consultat de omnibus negotiis, novas leges condit quando eas necessarias judicat, controversias dirimit inter Inquisitores particulares, ministrorum culpas punit, provocationes audit, nemini subest nisi Regi. Desiderat Regius hic Senatus intro-

ducere in Regno Neapolitano Inquisitionem, quæ Hispanico subjiciatur, sicut & in Siciliâ, Sardiniâ, & Indiâ: Curia autem Romana hanc dependentem à se desiderat, quia non tantum prætexit in eo Regno auctoritatem Pontificiam spiritualem, sed & dominium in temporalibus.

Anno 1547, cùm ibi Prorex esset Petrus Toletanus, cupiens superare omnes difficultates; jam executioni sese accingens, tantas turbas dedit & seditiones populares, ut quasi bellum excitum fuerit cum Hispanis præsidiariis, non sine morte multorum ambarum partium. Sed cùm Hispani superiores evasissent, utpote qui arces occuparent, desiit tumultus. Et à Prorege partim morte, partim exilio puniti fuêre seditionis auctores. Neque tamen studuit inibi introducere Inquisitionem, non tam ob metum novorum tumultuum, quàm ob efficacem oppositionem Papæ, & Cardinalium: Hispani interim in animo habere eam ali-

aliquando ibidem introducere; Romanis interim pro certò ſtare, huic decreto ſeſe opponere: unde ad hodiernum diem hoc Regnum ſine Inquiſitione regitur. Et ſi quando caſus aliquis occurrit, expeditur ab Epiſcopo, aut ab alio Prælato cui Romana Curia committitur, qui tamen nihil agit ſine Proregis permiſſione.

In Belgio autem, cùm Lutheraniſmus ibi inciperet, à Magiſtratibus ſæcularibus ſine officio Inquiſitionis puniti fuêre hæretici, vel morte vel exilio. Sed ob nimiam eorum multitudinem rigor hic à Magiſtratibus temperatus fuit.

Anno autem 1550, Carolus V Imperator conſilium iniit, ut ad modum Hiſpaniarum hic introduci poſſet Inquiſitio, atque etiam hâc de re decretum promulgavit: Sed admonitus à ſorore Mariâ, Reginâ Hungariæ, & Gubernatrice harum Provinciarum, omnes extraneos Mercatores diſceſſuros, civitateſque manſuras abſque

commerciis, alio tunc edicto declaravit; Inquiſitionem vim non habere in extraneos, & quantum ad originarios formam admodum mitigavit: neque etiamnum voluntas Imperatoris fuit adimpleta, niſi admodum imperfectè; ſed ut plurimùm juſtitia contra hæreticos penes Magiſtratus manſit, quorum fervor indies cæpit refrigeſcere. Quocirca Philippus Rex Hiſpaniæ Anno 1559, & annis ſequentibus, tentavit denuo introducere Inquiſitionem Hiſpanicam diverſis modis: ſed propter varias reſiſtentias, nunquam id fieri potuit: donec An. 1567, armis ſtabilita fuit per Ducem Albanum, quæ cùm introducta eſſet, ſtatim bella ſucceſsêre, magiſque ſemper conſtricta fuit, & quoad loca & quoad auctoritatem, uſque dum in nihilum evaneſceret, quali in ſtatu etiamnum manet.

Origo

Origo Inquisitionis apud Venetos.

INclyta Venetorum civitas per Dei gratiam conſervavit ſeſe intactam à contagio; quod manifeſtè apparet ex promotione Ducis Jacobi Thiepoli, Anno 1229, in quo tempore mentio facta eſt de modo procedendi, de pœnis & caſtigationibus multorum delictorum, quum hæreſis ne quidem nominata fuit. Et Anno 1232, cùm idem Dux, ſtatutum publicaret, in quo multorum delictorum pœna decernitur, & nominatim maleficiorum, & incantatorum, hæreſium nulla fit mentio; quod procul dubio factum fuiſſet, ſi hiſce temporibus civitas hâc peſte fuiſſet contaminata.

Sed poſtquam Papa Innocent. IV, tentare cæpit exuere Imperio, regniſque Imperatorem Fredericum, unde magna pars Chriſtianiſmi armata fuit; omnis Longabardia diſcordiis agitata,

quemadmodum & Marchia Treviſina & Flaminia, quæ diviſæ fuere in fautores Papæ & Imperatoris: tunc inquam variis opinionibus perverſis contaminatæ manſêre. Et cum Venetias ſe tum Anno 1249, pru[illegible]ii ſecuriùs viverent; hæc Reſp. remedium præſcripſit, ne [illegible] inficeretur à contagione reliquæ Italiæ.

Quocirca conſultum fuit eligere viros probos, prudentes & Catholicos, qui inquirerent de hæreticis, & ut Patriarcha Gradenſis, Epiſcopus Caſtellanus, aliique Epiſcopi Ducatus Veneti, judicarent de ipſorum opinionibus: & ii qui ab aliquo Epiſcoporum tanquam hæretici traditi fuêre, condemnarent ad ignem per ſententiam Ducis, & Senatorum, aut ſaltem à majori numero; ut liquidò apparet in promotione Ducis Marini Moroſini, Anno 1249. Et ne fortè mors alicujus Epiſc. hoc opus interrumperet, etiam in mandatis datum Jacobo Contareno

Duci,

Duci, Anno 1275, in morte Epiſcopi, à Vicariis ipſorum hæreticos deferendos, hoc inſtitutum coincidit cum eo quod continetur in corpore legis civilis, & uſitatum fuit in Imperio Romano. Quoniam prima cognitio facti erat penes Judices Laicos, qui deputati erant à publico ad Inquiſitionem contra hæreticos; qui cùm eſſent detecti, judicatum fuit ab Episcopo, [illegible] rū opinio fidei eſſet conformis. Quod cùm eſſet factum, Dux & Senatores ſententiam pronuntiavêre, non ut nudi executores, ſed ut veri Judices, quod ipſum manifeſtè oſtendunt hæc verba: *Aut ſaltem à majori numero:* quod dici non poteſt ubi non ſunt deliberativa ſuffragia.

Pontifices Innocentius, Alexander, Urbanus, & Clemens, aliique ſeptem ſequentes inſtanter petiere à Sereniſſimâ Rep. ut reciperet officium inſtitutum à Fratribus Inquiſitoribus, ſed fruſtrà. Sufficiebat ei inſtitutum proprium cum fructu uſurpatum.

Habebant ante oculos crebras confusiones, quæ nascebantur à novo hoc officio in aliis civitatibus: quoniam fratres Inquisitores sæpiùs in concionibus excitabant populum, & per Cruce-signatos vindictam exercebant in inimicos; & sub nomine hæreticorum multi innocentes oppressi fuêre, ab iis qui bonis ipsorum inhiabant. Duæ [illegible] tempore insignes fuere seditiones: una Mediolani, Anno 1242; altera Parmæ, Anno 1279, quæ propemodum pessundederunt has civitates. Quocirca Serenissima Resp. veteribus & probatis semper usa fuit institutis; & aliorum locorum confusiones necessitatem ei imposuere tuendi officium prout ab eâ institutum fuit Anno 1249, prout ante dictum est.

Sed postquam Pontifex electus esset Nicolaus IV, Minorita, qui ut perficeret consilia prædecessorum suorum, & ut exaltaret sui ordinis Fratres, quos summopere amabat; tam instanter petiit, ut statutum fuerit admittere offi-

officium, tali limitatione tamen ne ſcandalum ex eo oriretur: atque ita decretum in Senatu totius Reip. nimirum Ducem ſolum adjuvare poſſe Inquiſitorem in exercendo officio, nummoſque dandos à publico, & adminiſtrandos per procuratorem, penes quem ſumptus faciendi forent pro officio, & qui etiam emolumenta, fructuſque perciperet.

Hoc decretum nomine Senatus publicè Papæ ſignificatum fuit. Et Pontifex poſtquam illud vidit & examinavit, ei acquievit, & ad ejus impletionem exhortatus eſt. Atque de hiſce omnibus formata eſt Bulla in Rieti, 28 Auguſti, Anno 1289, cui inſertum fuit decretum maximi Senatus, factum 4 ejuſdem menſis. Et tale fuit initium officii Inquiſitionis in Venetiâ, partim ex ſæcularibus, partim ex Eccleſiaſticis, quemadmodum etiamnum exercetur.

Hic neceſſe eſt pauliſper ſubſiſtere, conſiderantes officium Inquiſitionis in

hoc dominio non dependere à Curiâ Romanâ; ſed tantùm à Sereniſſimâ Rep. independenter, erectum conſtitutumque fuiſſe ab eâdem, ſtabilitúmque per contractum, & viam concordiæ cum ſede Apoſtolicâ; quocirca illud Regi deberi propriis conſuetudinibus & placitis; nec aliunde decreta eſſe recipienda, quod quatuor hiſce rationibus manifeſtè apparet.

Prima eſt; quod quantumvis ab Innocentio IV, & ſequentibus Pontificibus decreta facta ſint ad ſtabiliendum in omnibus civitatibus officium Inquiſitionis Romanæ, attamen locum hæc non habuere in hâc Republ.

Secunda; quoniam officium Inquiſitionis inſtitutum hic non fuit propter Bullam aliquam Pontificiam; ſed ex conſilio majoris Senatus.

Tertia; quia Pontifex Nicolaus tantum conſenſum attulit, ſuper eo quod deliberatum fuit à Republ.

Quarta; quod ſumptus & emolumenta officij erant pro publico: & non

pro

pro Ecclesiasticis, quocirca hæc dependebant à sæculari institutore. Neque hi sumptus tam exigui fuêre, quoniam (ultra quod incarceratis alimenta suppeditanda fuêre) pro mercede singulis mensibus solvebantur Inquisitori duodecim ducati aurei, qui nunc temporis plus quam triginta sex valerent.

Et quod officium hoc sit Venetum, neminique subjectum, ostendit hoc quod accidit post duodecimum annum à primâ institutione, nempe An. 1301. quando Frater Antonius Inquisitor monitorium exhibuit Duci Petro Gradenigro, ut juraret observationem constitutionum Papalium & Imperialium contra hæreticos.

Ad quod respondit Dux publico scripto, quod non teneretur aliud præstare juramentum, quoniam in promotione suâ, prout conventum fuerat cum Nicolào IV, ipse semel juraverat, neque eum teneri ad alias ordinationes Apostolicas aut Imperiales, quæ huic pacto non erant conformes. Quocir-

eæ Inquiſitor deſtitit ab hoc incæpto, & acquievit. Non reperio quando primùm mentio facta ſit trium Inquiſitorum, qui nomine Principis adſiſterent: Vériſimile eſt ipſos deputatos fuiſſe in principio cum Senatoribus, quod præſupponendum, quia nihil adfertur in contrarium; quoniam etiam antequam conſtitutum eſſet officium Inquiſitionis, partim ex ſæcularibus, partim ex Eccleſiaſticis, officium tantum conſtabat ex ſæcularibus, in quo Nobiles conſtituti fuêre, ut inquirerent contra hæreticos, prout antè narravimus. Unde præſupponi poteſt electionem, nomenque continuatũ fuiſſe.

Contenta CAP. I.

PRoinde cùm hæc jam pro certo tenenda ſint, primo Capite dicitur: quemadmodũ in officio Inquiſitionis Venetæ tres ſunt Aſſiſtentes; ſic etiam debere Rectores aſſiſtere in civitatibus ſubditis, quas oportet conformes eſſe quoad leges & conſuetu-

ſuetudines dominatrici; exceptis particularibus. quæ conceſſæ ſunt aliquibus civitatibus Principum privilegiis & gratiâ. Similiter & libertates & immunitates civitatis dominatricis, communicantur immediatè illis quæ ſubjiciuntur; quod etiam obſervatur in omnibus Regnis & Statibus. Atque hæc ſola diſpoſitio legum, uſuſque ſufficit, ut ſit aſſeſſio legitima Rectorum per omne dominium.

Atque ultra diſpoſitionem hanc legum, particularis contractus interceſſit cum ſede Apoſtolicâ, ab Anno 1551, idque hâc occaſione; quod Excellent. Decem-viri, & Adjuncti, muneris admonuere Repreſentantes, ne fortè ipſorũ negligentiâ abuſus aliquis ſubreperet, ſcripſere omnibus Rectoribus, ut præſentes eſſent in formatione proceſſus Inquiſitionis. Curia Romana exiſtimans novitatem hanc tendere præjudicium auctoritatis Eccleſiaſticæ; & Pontifex Julius III, expoſtulavit ſuper hâc re cum Legato, eam

eſſe

esse contra Pontificum decreta; quocirca eum in animo habere eâ de re Bullam edere. Respondit Legatus, non esse rem novam, sed antiquissimam; innovatam verò ad conservandam jurisdictionem, nihil sese adsumere quod Ecclesiasticos spectat, sed eos potiùs adjuvare. Satisfactum hoc responso Pontif. qui subjunxit: Quod si domini hi volunt esse coadjutores nostri, sint benedicti: sed si Judices nobiscum esse volunt, non possumus eos tolerare. Et quoniam Pontifex judicabat penitiùs hanc rem inquirendam esse, verbis sibi satisfactum noluit, præcipuè ob maximos motus Cardinalium; quocirca hâc solâ de causâ Venetias ablegavit Achillem Grassum Electum Montis Flasconis, 6. Augusti, Anno 1551, cui mandata sunt, hisce verbis proferenda.

Mittimus te, ut per te aliquod decretum fiat in modo procedendi circa hæreses. Quod si judicaverint adsistentiam Potestatis sæcularis, in ipsorum

rum civitate & dominio esse necessariam: hoc ipsum non rejicimus, imò desideramus, modò ne se ingerant in cognitionem caussæ & sententiam. Et paulò inferiùs; Omnis forma, Reip. grata, nobis quoque placebit, modò sit *citra cognitionem & sententiam.*

Postquam Nuncius ob hanc causam Venetias venit, facillimum fuit inter ipsos convenire, quia utraque pars erat ejusdem voluntatis: unde statim astipulatum fuit super hisce quatuor Capitibus.

Primò; quod Rectores præsentes esse debent, cùm formatur processus; & in omnibus qua fient à Vicario aut Inquisitore.

Secùndò; quod liberum erit Vicariis, Inquisitoribus & Rectoribus, pro ut casus occurrent, assumere Doctores qui videbuntur idonei.

Tertiò; si quando casus occurrent in arcibus aut pagis, ii tractabuntur eodem ordine in civitatibus metropolitanis.

Quar-

Quartò; quòd Rectores ad minimum semel in hebdomade, unà cum Vicariis & Inquisitoribus congregabuntur ob hanc rem.

Secundum hoc pactum 26 Septem. scriptum fuit omnibus Rectoribus: & Romæ Pontifex idipsum approbavit. Jussitque Episcop. Ravellensem Nuncium suum ordinarium apud Venetos, hæc significare Vicariis & Inquisitoribus Status Veneti; & idipsum fecit 20 Octobris. Admonens insuper eos, ut in omnibus actis, decretis & sententiis super hoc negotio, præsentibus Rectoribus, ab amanuensibus deputatis adscribatur hæc clausula: *Cum assistentiâ & præsentiâ Clarissimorum Dominorum* N. N.

Primum illud pactum initum cum Papâ Nicolao, Anno 1289, atque insuper hoc ultimum, ad operandum sufficit, quantò magis conjunctim: quocirca hæc auctoritas tolli non potest per Bullas aut decreta ab ullo Pontifice. Privilegia quæ indulgentur, ob

caus-

caussas revocari possunt; sed quod hoc pacto conventum est, manet irrevocabile: quocirca nulla decreta, quæ Romæ fiunt æstimari debent; ne illud quidem quod fecit Gregorius XIV, Anno 1591, quod declarat, hæreticorum delicta esse merè Ecclesiastica, idcirco sæculares non debere de iis judicare. Etiamsi Pontifices tentaverint idipsum abrogare, dicentes, ut Leo X super hoc negòtio: Etiamsi obstent consuetudines confirmatæ à sede Apostolicâ, hæc derogatio nostrum casum non comprehenderet, quia differunt confirmare, convenire & contrahere: & si quando dicerent, etiamsi obstent pacta cum sede Apostolicâ; idipsum esset nullius momenti: quia est manifesta contradictio, duos convenire super unâ re, eamque esse sub arbitrio unius tantùm. Hoc jam pro certò statuentes, Curiam semper tentaturam exclusionem sæcularium, & hujus Status integrum officium de hæresibus ad se velle trahere.

Sed

Sed ab hâc parte præjudicium nullum datur, quia nulla est negligentia in executionibus.

Cujus rei exemplum habetur in Hispaniâ, ubi forma Inquisitionis Regi subjicitur, stabilita per pactum Anno 1484, quod per Bullas & ordinationes Romanas Hispani nunquam passi sunt infringi. Quocirca non fuit actio bonæ fidei, cùm imprimeretur Romæ Directorium, Anno 1584, ei adjungere Breve Leonis X, de quo suprà, dicatum Episcopis & Inquisitoribus hujus Dominii, in quo, propter notabiles aliquos casus in Valcamonicâ, hic Papa scripsit, Magistratus sæculares nullam potestatem judicandi habere in officio Inquisitionis, sed tantùm ipsis incumbere exequi sententias. Quod Breve nullo modo imprimi debebat. Primò; quia non est sumptum ex loco authentico: secundò; quod ne tum quidem executioni mandatum fuit, & forsitan ne visum quidem, ut manifestè apparet; quod Breve

ve datum fuerit 15 Febr. 1521, ſtylo Romano, poſt tringinta dies 24 Martii. Excell. Decemviri cum Adjunctis ut obviam irent innumerabilibus extorſionibus Eccleſiaſticorũ, ordinavêre: quamvis ſententia pronuntiata fuerit ab officio Inquiſitionis, ab Epiſc. di Eminno, una cum duobus Doctoribus à Rectoribus deputatis: proceſſus tamen reſumi debuerit, Brixiamque deferri, ibique judicari, cum interventu Rectorum. Cui rei Nuntius conſenſum tulit, atque ſic executioni mandata fuerunt. Manifeſtum argumentum, quod illud Breve Leonis, aut verum non fuerit, vel viſum non fuerit, vel locum non habuerit. Quocirca imprimi non debuit, præſertim cùm poſt illud tempus cum Julio pactum ſecutum ſit. Sed quia nunquam deſiſtet Curia Romana fovere ſuas prætenſiones: ſic ab alterâ parte vigilandum ſemper ut iis obviam eatur, ne paulatim negligentia hic præjudicium afferat, nec in contractibus unquam

inſe-

inſeri debent res antehâc firmiter ſtabilitæ; quoniam inſeruiſſe eas in contractibus, Anni 1551. Si nihil boni inde proveniſſet, prout factum eſt; maximum fuiſſet præjudicium contra pactum anni 1282.

Hæc ſententia omnimodo eſt ſervanda, non tantum quia juſta & legitima; ſed ob reſpectus publicos & privatos eſt neceſſaria. Poteſtas quæ Principi à Deo data eſt, non eſt donum ei proprium, quod ab eo diminui non poteſt abſque peccato, etiamſi ea immediatè à Deo proveniat, data tamen eſt ob beneficium populi; quod ſi ea diminuatur, non ſufficit ad bonum & integrum regimen. Subditus damnum recipit, & divina Majeſtas offenditur.

Etiamſi autem Princeps ſubditos regere non teneatur, Dei tamen cauſſâ tenetur, & illud quod erga ſubditos nominatur gratia, Dei reſpectu eſt debitum; quod adimplere non poteſt, niſi integram conſervet auctoritatem ſine

ne ullâ diminutione. Officium Inquisitionis quo sanctius, aliisque omnibus magis necessarium: si non bene administretur, eo gravius & magis damnosum: quod si à justis & prudentibus viris administratur, occasio ipsis danda fideliter perseverandi: alioqui libertas quidlibet faciendi pro arbitrio, etiam sanctos præcipites dedit. Sed ubi administrator dona necessaria non possidet, providendum ne modum excedat.

Antehac subditi nimiis rigoribus oppressi fuêre, ab iis qui sub prætextu zeli, ambitionem fovebant, aut aliena invadere conati sunt: quocirca providendum ne avaritia aut ambitio privatis damnum inferat. Hoc provenire solet à zelo sine judicio circa eos qui negotia mundi ignorant, qui fræno indigent, quo ad res publicas non minus noxii sunt effectus ambitionis, aut avaritiæ, aut indiscreti zeli, quoniam superior destitutus favore ejus qui imperat Ecclesiasticis, Religio speciosè ser-

ſervit, ad ejus oppreſſionem. An. 1322, Papa Johann. XXII, promulgavit ſeverum monitorium contra Matthæum Vice-comitem Mediolanenſem, damnatum hæreſeos; & ſub hoc prætextu juſſit Sereniſſiam Remp. abſtinere à commercio ejus & ſubditorum; nullâ aliâ de cauſsâ, quàm quod ſequeretur partes Ludovici Bavari Imperatoris, qui erat inimicus Papæ. Eodem anno Reverendiſſimus Guido Rangoni, Epiſcopus Ferrarienſis, & Frater Buono Inquiſitor, admonuêre Sereniſſimam Rempubl. ut abſtinerent ab omni commercio cum Reginaldo & Aubizo Eſtenſibus, ipſorumque ſequacibus & ſubditis; quoniam tanquam hæretici ab ipſis erant condemnati: neque hic alia cauſſa fuit, quàm quod recuperaſſent Ferrariam occupatam à Pontificibus, ab Anno 1355. Cùm Malateſta & Galeottus Malateſti Ariminium tenerent, Papa Innocentius VI, voluit Venetos abſtinere ab ipſorum commercio, ob ſuſpicionem

nem tantum hæreſeos. Idem Pontifex eodem anno, eodem modo egit cum Venetis, contra Franciſcum Ordelafum, propter dominium Fori Livii, & contra Johannem & Guilielmum Manſredum propter Faventiam, imperans contra ipſos cruciatum prædicari. Attamen magni hi motus & damnationes hæreſeos in fumos evanuêre, ſimul ac accuſati ſe Vicarios Pontificis eſſe agnovêre. Infallibile & manifeſtum argumentum, imputationem hæreſeos fuiſſe tantùm ad conſtringendos eos ad converſiones humanas, jam antè præmeditatas à Pontifice.

Accedamus ad res noſtri ſæculi. Contentiones quæ fuêre inter Pontificem Paulum IV, & Philippum II, Hiſpaniarum Regem, merè temporales erant. Hic Pontifex, tàm in Conſiſtorio, quam cùm ageret cum Legatis Principum, & cum cujuſvis generis hominibus, ſemper ingeminabat Regem & Imperatorem patrem ejus eſſe

esse hæreticos. Quemadmodum etiam nuperrimè scripti libri pro caussâ Sereniss. Reip. prohibiti fuêre ab Inquisitione Romanâ, & ab aliis Ecclesiastici status, sub velamine hæreseos, quamquam res quæ tractarentur essent planè temporales, consuetudines receptæ apud omnes Reges Christianos. Et Cardinalis Bellarmin. ante aliquot annos librum evulgavit, in quo Principes quoad res temporales subjicit Pontifici, & audacter omnes tanquam hæreticos rejicit, qui dicunt, Principem in temporalibus nullũ agnoscere superiorem quam solum Deum, etiamsi vix quinta pars Catholicorum aliter credat. Quocirca propter malitiam quorundam hujus officii, quia propria quærunt, parumque honesta, necessario perspiciendum quo pacto exerceatur, ne ulla occasio detur eo ipso abutendi, quod post tempus elapsum frustra tentatur.

Mediolani, ubi Inquisitionis est summa auctoritas, Anno 1581, evenit

casus, periculi plenus. Cardinalis Borromæus, qui postmodum inter Sanctos relatus fuit, cùm visitaret urbes aliquas diœcesios Mediolanensis, sed subditas Helvetiis; multa præscripsit, unde suspicio regimini suborta est. Quocirca Legatum misère Mediolanum, qui à Gubernatore petiit, ut Cardinalis isthinc disc ederet, antequam novi aliquid accideret. Venit Mediolanum Legatus, qui intravit ædes alicujus mercatoris, ut inde commodius legationem obire posset. Rescivit idipsum Inquisitor, statimque per suos ministros ligatum in carcerem in suum monasterium abduxit. Retulit idipsum ad Gubernatorem mercator, qui statim liberum eum constituit, honore affecit, eumque benignè audivit: unde Helvetii (qui eum captum & liberatum simul rescivere) hoc aperte dixêre: quod si rumor ad eos pervenisset de solâ ejus captivitate, sine liberatione, eos Cardinalem incarceraturos fuisse, cui hoc ipsum significavit Gu-

bernator. Cardinalis autem tempori ſerviens inde diſceſſit, omniaque nova præſcripta deleta fuère.

Hæc pericula oſtendunt non ſolum malitiam efficere poſſe hujuſcemodi infortunia, ſed & imprudentiam, zelumque ſine ſcientiâ; quocirca vigilandum aſſiduè eſt, & non permittendum minui auctoritatem interveniendi in omnibus actionibus hujus officii, quam Deus per providentiam ſuam hactenus conſervavit, & per hanc obviam iri poteſt periculis publicis, & injuriis privatis.

Quoniam jam clarè oſtenſum fuit officium Inquiſitionis non habere antiquitatem in Eccleſiâ, & eſſe inſtitutum in hoc dominio eâdem formâ quâ etiamnum obſervatur in hâc Rep. ut officium proprium, & conſtitutum per pactum cum Sede Apoſtolicâ: & cùm explicatæ ſint cauſſæ quare ſic deliberatum fuerit, & neceſſitas propter quam modum inſtitutum obſervare tenentur; hinc liquet plenè explicata

& probata esse fundamenta primi Capitis.

Secundum autem & tertium Caput non indigent ampliori declaratione aut probatione.

Contenta CAP. IV.

QUartum Caput, ubi agitur de munere Assistentium, quod requiritur in quatuor casibus, exigit aliquas considerationes.

Quod ad primum casum attinet, qui consistit in justâ executione determinationum Judicum; de eo nulla est difficultas.

Secundus autem & tertius, qui impedit determinationem usurpativam auctoritatis temporalis, vel cum præcipiti vel cum manifestâ aut injustâ oppressione, aut in dubiis, judicium suspendit, vel consilium requirit. Hi sunt minus necessarii quam primus. Quoniam ut plurimùm Inquisitores, excedunt legitimam potestatem, quod ut probetur, textus ipsorum Pontifi-

cum Romanorum sunt adducendi.

Clemens V, in Concilio Generali Viennensi (quod insertum corpori Canonico cap. 1, de Hæret.) postquam audivisset contentiones contra Inquisitores, quod excederent limites officii, in damnum fidelium, quod institutum fuerat in fidei propagationem: necesse ergò habuit ad gloriam Dei, & ut hoc negotium meliùs procederet, multis uti cautionibus, & regulas dare, ut huic confusioni obviam iret. Clemens VI, in mandatis dedit Bernardo Cardinali S. Marci, Legato suo in terris Ecclesiæ, ut inquireret de excessu Inquisitorum, & justitiam non denegaret lamentantibus. Documentum manifestum, errores semper aliquos subrepere, quibus obviam eundum est.

Sed posito quod nullus Inquisitor excedat terminos potestatis datæ, hæc tamen regulis opus habet, & frænanda est summâ prudentiâ. Ad hujus rei certitudinem sufficiat videre Directorium,

rium, quod Romæ imprimi curavêre Anno 1584, quod verbotenus translatum est è Latino. *Si Inquisitores exercere vellent, omne imperium suæ potestatis, facillimè omnes excitarentur ad seditionem.* Hæc verba scripta sunt, ut admonerent Inquisitores, etiamsi caussa aliqua ipsis justa videatur, si tamen periculo mixta sit, consilium petendum Româ. Hic autem non est eo modo concludendum; quia Roma longè abest, occupata in propriis, nec potest providè judicare de alienis periculis. Sed interim hæ confessiones Curiæ Romanæ, ostendunt necessarium esse, si quis dominium quietè regere velit, & subditos bene protegere; diligenter circumspiciat, ut dextrè coërceat hanc potestatem, quæ in sese considerata modum excedit, & circa quam ut plurimùm abusus fiunt.

Anno 1518, in Valle Camunicâ detectus fuit magnus numerus Incantatorum, & quoniam parum diligentes fuêre Rectores Brixienses, judicium

relictum fuit ad arbitrium Ecclesiasticorum. Hinc natæ tàm iniquæ extorsiones, & tot contentiones oppressorum: ut Excellent. Decemviri coacti fuerint omnes sententias revocare, & evocare Venetias Vicarios Episcoporum & Inquisitores; & substituere alios Judices, unà cum Rectoribus, qui caussas reviderent. His non obstantibus difficulter admodum populus hic abstinuit à seditione.

Necdum periit memoria maximarum seditionum, quæ Romæ excitatæ fuêre, post mortem Pauli IV, cùm carceres Inquisitionis à populo rupti fuêre, ejusque domus unà cum archivis igne consumpta fuit. Et similiter quo in periculo versata fuerit civitas Mantuana Anno 1568, quibus omnibus obviam iri nullo pacto potest, si Magistratus, cui incumbit cura prospiciendi civitatibus de quiete, obicem non ponat exorbitantibus hisce deliberationibus. Quod si res dubia quædam occurrat, & periculum sit in suspen-

ſuſpenſione judicii; hoc ipſum Eccleſiaſticis præjudicium adferre non poteſt, quia tunc etiamnum meliùs deliberatur, & hic defectus majori cum maturitate executioni mandatur: quod ſi vero periculoſus caſus malum eventum ſortiatur; tunc vel nullum aut imperfectum remedium adhibebitur. Prudens autem Princeps, auctoritate ſuâ, aut idipſum notificando Pontifici, quietè tranſigere poteſt, quæ alioqui malum exitum habitura eſſent.

Quarta pars Capitis, videlicet Rectores vel Aſſiſtentes debere dextrè excitare Inquiſitores ad executionem officii, ubi illud neglexerint, ea inquam vel maximè ſpectat Magiſtratum ſæcularem.

Ratio prima eſt quam dat S. Auguſtinus: Quod officium ipſorum ſit punire delicta, immediatè commiſſa contra Majeſtatem Divinam, ut ſunt blaſphemiæ, hæreſes & perjuria, idque magis quam quæ homines offendunt. Deinde quod hæreſis offendit

non tantum Majeſtatem Divinam, ſed etiam evidenter quietem publicam interrumpit: cujus cura Magiſtratui ſuperiori incumbit, quam omittere nullo modo poteſt. Inquiſitores tenentur populum purgare ab hæreſi ob ſervitium Deo debitum. Magiſtratus autem & propter Dei miniſterium, & propter publicum regimen. Quocirca ille cui plus curæ incumbit, magis vigilare debet, alioſque excitare. Neque huc objici poteſt ſæculares etiamſi Magiſtratus, imo Principes filios tantum eſſe; Eccleſiaſticos autem Patres, atque idcirco ſuperiores & non convenire filio admonere aut reprehendere patrem, quoniam hîc manifeſtè apparet æquivocatio & cavillus. Quoniam ſi in aliquâ civitate Magiſtratum ſuperiorem gerat filius familias, ille in rebus familiaribus & domeſticis domi Patri ſubjicitur; ſed in publicis & civilibus ſuperior erit. Eccleſiaſtici ſunt Patres in Chriſto; unde Magiſtratus iis ſubjicitur in dome-

ſticis

ſticis rebus domus divinæ; debet ab iis accipere doctrinam Chriſti, & Sacramenta Dei, quæ ſunt res familiares, in quibus filius ſubjicitur Patri ſpirituali. Sed quod publica attinet, ut eſt caſtigatio delictorum, & civilis vita tranquilla, etiam Patres ſpirituales filio qui hanc curam habet, ut eſt Magiſtratus publicus, ſubjici debet. Et ſi Eccleſiaſticus poteſtatem & jus habet corrigere quælibet delicta, non aliunde hoc habet quam à Principe, cui ſoli hoc Deus dedit.

Antea dixi quod in judicio tria concurrant: cognitio rationum, quare quis ſit hæreticus, quod eſt planè Eccleſiaſticum; cognitio facti, nempe quiſnam ſit reus; & ſententia, quæ duo poſteriora ſunt temporalia; & antehac in Imperio Romano exercitata à ſæcularibus, & hoc tempore à Principibus etiam conceſſæ Eccleſiaſticis, Sereniſſima Reſpubl. hæc in uſu habuit ab Anno 1249, uſque ad annum 1289, quando hæc conceſſit officio Inquiſi-

tionis, administrato ab Ecclesiasticis, Assistentibus sæcularibus. Quod si Ecclesiaſ. negligerent debitum officium, recideret auctoritas apud eum qui eam concessit, qui eâ nunquam privatur. Quocirca mirandum non est sæcularem esse superintendentem supra eum qui munus gerit ab eo concessum, admonendo & excitando tali modo, qui requiritur ad decorum utriusque partis.

Contenta CAP. V.

QUintum Caput, Rectores scilicet & Assistentes non debere præstare juramentum fidelitatis aut silentii Inquisitoribus; attentam meretur considerationem; quia per tale juramentum, Principem dum repræsentant, fierent ministri Inquisitorum.

Res manifesta est, eum qui jurat fidelitatem & silentium, idque sine exceptione, eum teneri ad ejus observantiam ei cui juravit, sine consideratione alterius commodi aut incommodi

modi. Unde Repræsentantes, nulli actioni Inquisitionis possent sese opponere, etiamsi ea in damnum Principis cederet, & ne quidem eum certiorem facere eorum quæ in officio occurrunt, sine infractione juramenti præstiti. Sed publicus repræsentans, etiam cùm tractantur ea quæ spectant officium Inquisitionis, nihil respicere debet, nullisque mandatis teneri quam Principis. Quocirca nemini fidelitatem aut silentium jurare debet. Ubi tribunal Inquisitionis est merè Ecclesiasticum, ibi interveniunt interdum Consultores sæculares, aut etiam Advocati fisci, Notarii, aliique ministri qui juramentum præstant Inquisitori, quia sæculares intervenientes sunt dependentes, & Ecclesiasticis subditi: In hoc verò statu tribunal mixtum est, non propter Consultores sæculares, aut alios ministros: sed tantum propter repræsentantes publicos Assistentes, qui non dependent ab Eccles. sed præsident nomine Principis.

Ecclesiastici ab aliquot centenis annis ad hoc usque tempus, nullum alium scopum habent, quam usurpare jurisdictionem temporalem, quam etiam acquisivêre magnâ ex parte, cum maximis turbis regiminum. Hoc præsertim tempore, idque maximè in Statu Reipubl. summâ dexteritate eò tendunt, ut per Inquisitionem omnia Ecclesiast. ad se trahant. Quod etiam tandem eveniret, si possent juramentum introducere, quod fieret à repræsentante ministro ipsorum. Quod semel introductum, scrupuli ab unâ parte, parva notitia ab alterâ, confessorum artificiosus labor; hoc procul dubio efficerent, ut res Inquisitorum aut Romanorum publico prævalerent: aut saltem excitarent in mentibus dubia tàm efficacia, ut nihil boni ab ipsis provenire posset.

Quod simul solvit responsum, quod alioqui videtur dari posse; videlicet juramentum recipi posse, salvo Principis honore. Responsum, quod pericu-

riculum non aufert; quia jam antè dicta taliter hominum mentes turbarent, ut nunquam hæc ſanè ab iis intelligerentur. Sed ut pigmento aliquo hæc obducant, duo dicunt Inquiſitores: 1. Fredericus II, juſſit omnes Conſules & Poteſtates jurare: alterum, quod Rex Hiſpaniæ jurat. Sed Fredericus non juſſit juramentũ præſtari Inquiſitoribus, quoniam, ut jam antè oſtenſum eſt, officium Inquiſitionis necdum inſtitutum erat: Sed ut publicè ipſi jurarent, ſe diligentes fore in exſtirpandis hæreſibus, quæ jam radices egerant. Tunc temporis Conſules & Poteſtates non conſtituebant officium Inquiſitionis unà cum Eccleſiaſticis: ſed iſti ſoli autoritate Imperiali condemnabant hæreticos: & Imperatori præſtabant juramentum fidelitatis; quæ forma paululùm temporis duravit. Teſtatur Johannes Andreas Canoniſta celebris, qui floruit Anno 1300, ſuo tempore jam in deſuetudinem abiiſſe hoc juramentum.

Rex

Rex autem Hispaniæ Philippus II, publicum juramentum introduxit, non Inquisitoribus sed Deo præstandum; se nunquam permissurum ut hæretici liberè viverent in ipsius Regnis, quod non est juramentum fidelitatis aut silentii officio præstitum, (quod ab ipso Rege dependet, & illius mandata recipit) sed sic dum Deo promittit, subditis aufert omnem spem libertatis conscientiæ.

Similiter & antiqui Duces Reipub. Venetæ, in ipsorum promotione, jurabant se punituros hæreticos: hoc juramentum non fuit præstitum Inquisitoribus, sed Deo & Reipub. Hic autem subest æquivocum, quod quis interdum absolutè jurat, interdum sub manu ut loquuntur; & hoc requirit, ut sint in ipsorum potestate & obsequio cui juramentum fit. Et publicus repræsentans nemini hoc pacto quam Principi jurare debet, prout nemini subjicitur. Quocirca necessarium erit, omni tempore observare hoc

quintum Caput, in quo agitur de summâ rei.

Contenta CAP. VI.

PRincipi rationem reddere earum rerum quæ in materiâ hæreseos quotidie occurrunt, prout Cap.6. continetur, est res quæ spectat ministerium Dei, & necessaria ob bonum regimen. In iis locis ubi Inquisitio tantum est penes Ecclesiasticos, non permittunt vel minimum Principi communicari earum rerum quæ occurrunt in hoc officio. In hoc autem statu, ubi tribunal mixtum est, quemadmodum eò tendunt, ut Assistens (quem excludere non possunt) ipsorum minister deveniat; sic & in eo toti sunt, ut occulta omnia sint, quæ ab ipsis tractantur, gravamen conscientiis imponendo, si quicquam reveletur sine licentiâ Inquisitoris; idque per hanc regulam: Caussas fidei debere esse penes Judices fidei.

Inter alias perversas opiniones qui-

bus

bus hoc noſtrum infelix ſæculum laborat, hæc etiam prædicatur; Principem non debere habere curam Religionis; idque duobus hiſce prætextibus coloratur: Primò, quia cùm ſit ſpiritualis & divina, eam non reſpicere auctoritatem temporalem: ſecundò, quod cùm Princeps majoribus rebus ſit intentus, eum non poſſe huc mentem convertere. Et certè maximâ admiratione dignum eſt, conſiderare quo pacto in mundo mutatio facta ſit. Antehac ſancti Epiſcopi Principi nihil magis prædicare & commendare ſolebant quam Religionis curam, de nullâ re magis ſeriæ admonitiones, & modeſtæ reprehenſiones ſuper ejus neglectu. Nunc verò nihil magis prædicatur, & Principi perſuadetur, quam ad ipſum non ſpectare curam rerum divinarum, quamvis Sacra Scriptura abundet locis in quibus Religio commendatur protectioni Principis à Divinâ Majeſtate, quæ etiam promittit tranquillitatem & proſperitatem regimi-

giminí ubi pietas fovetur : quemadmodum minatur desolationem & destructionem iis, qui res divinas tanquam alienas tractant. Exemplis hic abundamus, sed quia hic tractatus eorum longas narrationes non requirit, hoc tantùm dicam : Davidem accepisse Regnum intus confusum, quoad exteros verò, multis bellis implicitum, & ob formandam politiam occupatissimum : attamen præcipua ejus sollicitudo fuit de Religione. Et Salomon postquam accepisset Regnum tranquillissimum, & maximè ordinatum: magis tamen de Religione, quam de ullâ aliâ parte regiminis sollicitus fuit. Principes superioris sæculi, qui pluribus laudibus celebrati fuêre, ut Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, S. Ludovicus, &c. maximam earum accepêre, quod præcipuam operam collocassent in protegendis & dirigendis rebus Ecclesiæ. Et quidem impostura maxima est, proponere hanc partem quasi minoris momenti, quæ

omitti

omitti poſſet, ut ad alia ſe convertant; ſiquidem ejus neglectus iram divinam provocat. Experientia quotidiana hujus temporis, clarè oſtendit, nullum regimen tranquillè diu ſtare poſſe, ubi oboritur mutatio in Religione. Ipſiſſimi autem qui hoc conſilium dant ne Princeps ſeſe immiſceat rebus Eccleſiaſticis; hoc tamen alibi dicunt: Religionem eſſe fundamentum regiminis. Maximum autem abſurdum foret, hoc tanquam verum ſtabilire, prout veriſſimum eſt; & tamen aliis hanc curam relinquere, ſub hoc prætextu quod ſint ſpirituales, & quod eo uſque non attingat temporalis auctoritas, aut quod Princeps habeat majores occupationes quam háſce.

Manifeſta res eſt, quemadmodum Princeps, non eſt Prætor nec Præfectus, ſic etiam non eſt Sacerdos aut Inquiſitor: ſed hoc etiam ab alterâ parte certum eſt, curam ejus eſſe architectonicam, omnes & ſingulos tenere intra terminos debiti muneris. Sed

hic

hic latet error; curam nempe particularem Religionis propriam esse ministris Ecclesiæ; quemadmodum regimen temporale proprium est Magistratibus: sed Principem non debere exercere neque illam neque hoc per semetipsum videlicet: sed dirigere omnes debere, & circumspicere, ne ullus officio suo desit, remedium adhibere defectibus ministrorum: hanc nimirum debere esse curam Principis, tàm in iis quæ spectant Religionem, quàm alias partes regiminis. Et quemadmodum significare ei oportet de singulis aliis rebus, ut fœliciter administret: sic scrupulatim hoc fieri oportet in materiâ Religionis. Inquisitores Italiæ per cursores ordinarios exactè Romam deferunt, quicquid actum ab ipsorum officio. Magis ergo Principi harum rerum ratio reddi debet, quia ejus magis interest. Præstaret non eliminari hæc extra Statum, ut fit in Inquisitione Hispaniæ, quæ Regi soli rationem reddit. Quoniam autem hoc diffi-

difficilè obtineri poſſet, nunc temporis ſufficiat Principem hæc ſcire, quia illis etiam notum, quorum res tantoperè non agitur.

Contenta CAP. VII.

SEptimum Caput ordinatum fuit ab excellentiſſimo Senatu, ut Legatus Romæ tantum præſtet, ut Inquiſitor ſit originarius Dominii; quod planè juſtum eſt, quia talis meliùs novit conſuetudines, & naturam regionis, & majori affectu ducitur: unde hoc præſupponitur; majori judicio & amore (quæ duo hic maximè requiruntur) eos exercitaturos officium. Admirandum eſt omnes Inquiſitores Dominii, hoc tempore eſſe allophylos, originarios autem nec in hoc nec in alio ſtatu adhiberi: non quod tàm infelix ſit hæc Regio ut non producat homines qui ingenio & bonitate non poſſint certare cum aliis Italiæ partibus. Quæ ratio ergo ſuadet hos omnes æſtimandos inhabiles, & in hoc dominio &

ali-

alibi? Qui exempla Transalpinorum inspicere volet, reperiet nullibi esse Inquisitionem, nisi in Hispaniâ, ubi omnes sunt Hispani. Mediolani originarii & alii non excluduntur, sed his officium datur, qui non minùs dependent ab ipso Principe, quam ipsi Mediolanenses.

In Tusciâ Pius IV. transferre voluit officium Inquisitionis ad Fratres S. Dominici; sed Cosmus magnus Dux consentire noluit, quia hic ordo stèterat à partibus inimicorum familiæ Medicorum, tunc cùm Florentiâ expulsi fuere, anno nimirum 1494. Quæ rationes & exempla ostendunt, Romæ ponderari deberi, officium administrandum in subditis hujus status; neque ipsis nocebit Principis pietas, Religio & vita Christiana populi; & devotio ipsorum Patrum erga Principem proprium & erga Patriam.

Contenta CAP. VIII.

OCtavum Caput maximè conveniens eſt, nempe admitti non debere Inquiſitorem ad munus, niſi munitum literis Principis. Idem etiam directorium jubet, quod Inquiſitor ante omnia ſe Principi ſiſtat, literaſque recipiat ad repræſentantes publicos, ubi munus exercere debet. Hoc etiam ratio dictat, nullam juriſdictionem exerceri deberi, ſine publicâ notitiâ. Antehac ipſi Pontifices miſêre Inquiſitores cum literis Apoſtolicis ad Principem, rogantes ut eos favore & protectione ſuâ amplecti vellet; quemadmodum etiamnum hoc facere ſolent, ſi quando novus Epiſcopus ſtabilitur. Hodie vero congregatio Romana Inquiſitores mittit cum diplomate; & commentariis legationum, quaſi in proprium territorium eos mitterent, contra quas jam procedere non licet. Sed hoc quidem obſervandum, nempe diplomatis oblationem, per

quam

quam agnoſcitur Principis ſuperioritas, unde hæc duo ſequuntur: primò, ut examinari poſſit an diplomata ſint in ſolitâ formâ, aut ſi ipſis nova clauſula adjuncta ſit: quod ſi novitas quædam ſit, quæ præjudicium afferre poſſet, convenienti modo ei obviam eatur. Alterùm, pro viribus, cùm elaboratum fuerit, ut Inquiſitor ſit originarius, & fidelis, atque hæc tàm juſta poſtulatio non admittatur: ut diplomata retineantur ac replicando & triplicando, officium hoc majori vehementiâ urgeri poſſet. Et ſi fortè caſus occurrat propter quem publica ſapientia judicaret ſe conformem debere tandem eſſe voluntati Romanæ, & admittendum eſſe alienigenam: hoc ſaltem efficient, quod Curia in poſterum procedet majori circumſpectione, & ipſi Patres alienigenæ recuſabunt munus ob difficultates quæ jam aliis contigêre.

Contenta CAP. IX.

NOnum Caput eſt, interveni-re oportere Aſſiſtentes judicio, etiamſi reus ſit Eccleſiaſticus; legitimum hoc eſt, & obſervatu neceſſarium. Nec hoc credendum aſſiſtentiam ſæcularis hujus officii introduci ob perſonam rei, quod ipſum antehac multos fefellit, æſtimantes perſonam rei dare locum fori, hanc regulam malè intelligentes: *Actor ſequitur forum rei*, quæ quidem intelligenda de privatis commodis, ubi judicium inſtituitur inter litigantes, qui quoad perſonas, non ſubjiciuntur eidem Judici, tunc forum eſt cui reus ſubjacet. Ubi autem non de privatâ ſed publicâ re agitur, non attenditur perſona, ſed cauſſa. Et quamvis perſona ſit ſæcularis, ſi cauſſa ſit Eccleſiaſtica, Eccleſiaſticus eam debet judicare. Sic hoc tempore cauſſæ matrimoniales æſtimantur Eccleſiaſticæ; & quamvis perſonæ ſint ſæculares, judicantur tamen ab

ab Episcopis. Sic & caussæ merè seculares, ut administratio functionum publicarum de annonæ abundantiâ, de sanitate, delicta quæ quietem publicam interrumpunt; hæc, quamvis persona sit Ecclesiastica, pertinent ad secularem: Quod si sit mixti generis delictum, tunc Magistratus mixtus instituitur, à quo procedere debet judicium ejusdem generis absque respectu personarum.

In quantum hæresis corrumpit doctrinam Christianam, est delictum Ecclesiasticum; in quantum turbat quietem publicam, est seculare. Ad hanc tractandam non oportet considerare personam; nam alioqui Ecclesiasticus deberet judicare Sacerdotes & Monachos; Magistratus autem seculares. Sed tantum oppugnat doctrinam Catholicam hæresis secularis, quantum Clerici; & forsan magis turbat regimen publicum Sacerdos aut Monachus hæreticus, quam secularis. Quod si Ecclesiasticus merces infectas in ur-

bem portaverit, officium quod curam gerit ſanitatis corporis , hujus judicium non defert ad Eccleſiaſticos, ſed igne conſumit merces, & perſonam ejicit; quia agitur de bono temporali. Sic & officium Inquiſitionis mixtum non remittit ad Eccleſiaſticum, ſed judicium fert, quia agit de bono publico ſpirituali & temporali. Quod etiam hinc confirmatur, etiamſi delicta commiſſa à Clericis Regularibus, puniantur ab ipſorum ſuperioribus : attamen non poſſunt ſeſe intromittere caſibus quæ hæreſin ſpectant, ſed vadunt ad tribunal Inquiſitionis, non conſiderantes quod perſona ſit regularis. Quod etiam hinc clariùs apparet, quoniam caſus hæreſeos plus tangunt perſonas Eccleſiaſticas quam ſæculares ; in tranſactione cum Sede Apoſtolicâ, maxime eâ quæ facta Anno 1551, Romani exceptione uſi fuiſſent; quod cùm factum non ſit, oſtendunt hanc regulam non eſſe univerſalem; nempe, ſæcularem intervenire

in

in omnibus casibus. Nonum hoc Caput, maximâ diligentiâ ob diversas causas observandum est. Primò; quemadmodum ante ostendimus, quam sit necessarium Principem nosse quæcunque occurrunt in simili materiâ, ut tueatur religionem. Quod si Assistens non intersit judicio contra Ecclesiasticos, tunc ea quæ sunt maximi momenti, periculosa admodum, & frequentia, ignorabit. Nec sciet statum Religionis proprii dominii: quod est admodum absurdum. Deinde rarissimè contingit hæresis Ecclesiastici, quæ secum non trahat aliquem sæcularem, quo in casu erit inops consilii Princeps. Dividere caussam non videtur possibile, nec expedit relinquere sæcularem in foro plane Ecclesiastico. Nihil reliquum ergo nisi componere tribunal mixtum ad judicandum. Et procul dubio si aperiatur porta sub diverso prætextu, Annexorum, Connexorum, dependentium, emergentium; sæcularis ab omni parte exclu-

detur. Quocirca, prout ratio dictat, hic inviolabiter obſervandum, Senatus prudentiſſimum ſtatutum, quod hoc Capite propoſitum fuit.

Ut ſecunda pars probetur, nimirum Aſſiſtentes oportere eſſe præſentes cum proceſſus formatur, etiamſi denuntiatio aliunde facta ſit, neceſſe eſt ſcire conſuetudinem officii, approbatam uſu & ratione. Quod ſi denuntietur perſona coram tribunali Inquiſitionis, quæ alibi domicilium habet, nec perſonaliter ei ſubjacet; denuntiationem acceptat Inquiſitor, examinat teſtimonia & format proceſſum, in quantum poteſt eo quidem loco: & poſtmodum hæc tranſmittit ad Inquiſitorem qui reum detinet, ut cauſſam proſequatur, finemque imponat.

Anno 1610, P. Averaldus Capucinus Romæ denunciatus fuit de quâdam opinione de Antichriſto, & ab illâ Inquiſitione proceſſus ejus miſſus fuit Brixiam, ubi prædictus Pater degebat. Inquiſitio Brixienſis hanc cauſ-

ſam peregit ſine Aſſiſtentibus; & Rectoribus reſpondit (quibus id diſplicebat) Rectores non debere aſſiſtere, ſi non quando proceſſus initium cæpit in proprio tribunali; non autem cùm denuntiatio Româ venit. Hoc ſi admittatur, tunc non tantùm ratio & legitima conſuetudo violabitur: ſed etiam per hoc arcanum auferetur omnis aſſiſtentia. Inquiſitores enim ut careant Aſſiſtentibus, & ad incrementum propriæ auctoritatis, & ut meliùs inſerviant Curiæ Romanæ; hoc efficerent per denuntiatores ſub ſpecioſo prætextu, ne denuntiatio ab ipſorum officio ſed à Romano proveniat: quod facillimè fiet vel per literas, aut monitorium; & hoc pacto in omnibus cauſſis excluderetur ſecularis. Sed hi ſunt termini legales, quemadmodum omne officium aut Inquiſitio accipit denuntiationes contra abſentes, ſecundum ritus, formas & uſum ſuum: ſic & proprium officium format proceſſum, & ſententiam fert ſecundum uſum

ſuum. Hoc etiam animadvertiſſe neceſſarium fuit, ne quis externâ ſpecie fallatur, in Reipub. præjudicium: hoc pro certo ſtatuentes, quod Repræſentans publicus, ſine éxceptione aſſiſtere omnibus actionibus officii teneatur.

Contenta CAP. X.

DEcimum Caput, Repræſentantes nimirum debere aſſiſtere actionibus totius proceſſus; eſt planè neceſſarium, ad tollendos abuſus qui paulatim irrepsêre; quia in aliquibus locis, omnis proceſſus informativus peragebatur ſine aſſiſtentiâ, in aliis, omnis defenſivus, in quibuſdam, poſt acceptam denuntiationem, à ſolo Inquiſitore, Rectores vocabantur ad examen teſtimoniorum, qui omnes modi agendi præjudicium ſecum adferunt, quia talia in exemplum trahuntur, & à primo itur ad ſecundum; & lapſu temporis conſuetudo habet vim legis. Quod amplius eſt, quia Aſſiſtens tenetur ſignificare Principi quæcunque occur-

occurrunt, & protegere ſubditos, ſi quando ab Eccleſiaſticis opprimuntur; neque hoc neque illud præſtare poterit, niſi penitus cognoſcat totum proceſſum. Vel minimum particulare mutare poteſt totam cauſſam; neque intelligere, neque referre poſſunt negotium, niſi intelligant omnes circumſtantias.

Contenta CAP. XI.

UNdecimo Capite dictum, ob prædictas rationes, nullũ actum quaſi parvi momenti omittendum eſſe, quia nihil tàm parvum, quod non poſſit eſſe cauſſa abſolutionis aut condemnationis. Subjicitur, non ſufficere etiamſi hoc Inquiſitor permittat; quia qui proprio nomine agit, abſens interdum eſſe poteſt, non autem qui alterius nomine præſens eſſe tenetur. Neque hoc negari poteſt Rectoribus (præcipuè occupatis negotiis quæ ſecum trahunt regimen civitatum,) commodius fore pro libitu

intereſſe vel non , Inquiſitioni.

Sed nulla Juriſdictio adminiſtratur abſque labore. Curia Romana ne officium Inquiſitionis negligatur ob nimias adminiſtrantium occupationes , talibus hoc onus impoſuit, quibus nihil aliud negotii ſupereſt, & qui propter infimam ipſorum conditionē, hoc pro ſummo honore æſtimant. Princeps verò , cujus intereſt Religionis negotia benè adminiſtrari , decentiùs putat adhibere huic rei perſonas eminentioris gradus , quibus fidere non vereatur , quocirca certus eſt Repræſentantes fideliter & ſollicitè acturos, etiamſi diſtrahantur allis occupationibus.

Contenta CAP. XII.

DUodecimum Caput oſtendit quale remedium adhibendum ſit, ſi quando admiſſum aliquid ſit contra debitam formam ; nempe, res eſſe reſtabliendas in priſtinum ſtatum, adhibitis remediis benevolis & neceſſariis.

Con-

Contenta CAP. XIII.

DEcimumtertium Caput, quod tractat de processibus informativis quæ alibi mittuntur, meretur attentam considerationem, & diligentiam, quandoquidem aliqui Inquisitores, requisiti à superioribus, secreto modo agunt contra probos viros, examinantes homines qui stant ab ipsorum partibus, qui sæpissimè sunt nebulones; quos tamen synceros prædicant & exceptione majores, & horum testimonio sententiæ secretæ alibi formantur, ad tollendum honorem, aut inferendum majus damnum reis.

Anno 1590, cùm aliqui subditi S. Marci belli causâ Gallias peterent contra confæderatos; Fr. Albertus de Lugo Inquisitor Veronensis, processum intentavit contra ipsam Serenissimam Rempubl. tanquam fautricem hæreticorum, examinans pessimos homines, quos esse tales ipsi constabat; laudans eos interim, ut fides

iis adhiberetur. Mittere eos non potuit quò destinaverat hic bonus Pater, detectus fuit & punitus, prout tempus ferebat, sed non pro merito. In seditionibus Anni 1606, contra Senatores & Repræsentantes publicos & personas publicas similia egêre, qui certè maximus abusus hujus officii, quod semper syncerè procedere tenetur. Et quo major abusus, eò cautiores repræsentantes publicos esse oportet, ne unquam permittant ob requisita aut jussa alterius, processum formari sine ipsorum præsentiâ. Et si quando qüid simile tentetur, statim ei obviam eant. Atque adeò attenti sint ad omnes actiones Inquisitoris, easque detegant, & impediant.

Contenta CAP. XIV.

DEcimum quartum, quod requirit, ut in processu notetur Assistentia, caret difficultate; quia ut ante dictum est, Episcopus Ravellensis, Nuncius Apostolicus, An. 1551, scripsit

id-

idipſum ad omnes Inquiſitores hujus Status.

Contenta CAP. XV.

DEcimum quintum Caput neceſſe eſt ut exactè obſervetur, nimirum in proceſſu non deberi admitti decreta quæ foris auctoritatem accipiunt: quoniam ut plurimum Inquiſitores extra hunc Statum talem ordinem in procedendo obſervant, ut perpetuò Romæ omnia perſcribant, unde denuò exſpectant quid ipſis faciendum, tantundem quaſi Romæ proceſſus formaretur; quocirca peccant contra legem canonicam, quæ neceſſitatem conſultandi officio imponit. In hoc Statu hic abuſus nondũ frequens, nec tàm ſubtilis; licet forſitan in aliquo caſu particulari, ob alicujus favorem aut odium. Credi poteſt, illos juſtitiæ cauſsâ & ſyncero animo Romam ſcribere, unde exſpectant quid ipſis faciendum ſit, & Inquiſitores ad captandum favorem promptè mandata exequun-

quuntur. Et ipſi hoc agunt ut literæ inde veniant, ad tollendas contradictiones, inter Vicarium Epiſcopum aut Conſultores. Et hâc viâ ſuperant oppoſitiones. Hinc duo mala proveniunt: primum, quod à tribunali aufertur auctoritas; alterum, quod reo in defenſione ſui majores difficultates & ſumptus imponuntur. Excellentiſſimus Senatus hoc ſemper egit, ne auctoritas officii Inquiſitionis diminueretur: prout par eſt in omni ordinatione publicâ, ad bonum regimen. Antehac Romæ Inquiſitio nihil juris exercebat alibi, ſed in ſolâ civitate, & ſic de cæteris. Erat quidem Pontifex omnium ſuper-intendens, obſervatis interim pactis, immunitatibus, & conſuetudinibus legitimis ſingularum civitatum: atque ita obſervatum fuit uſque ad tempora Pauli 3, qui circiter annum 1540, Romæ inſtituit congregationem Cardinalium, quos Inquiſitores Generales nominavit, qui tamen non imperant Inquiſitioni Hiſpaniæ,

qui

qui antea hoc stipulaverant; sic neque auctoritatem Inquisitionis hujus Status auferre debent, prout ante centum annos inter ipsos transactum fuit; quod ipsum consideravi, ut hinc concludam: Ratione carere, illos eripere jus quod ad alios pertinet. Et revera, si Inquisitio Romana sese immisceat caussis hujus Status, prout in alicubus locis fit, tantundem erit ac si res Romam deferatur. Et ut hic claris & strictis terminis utamur: quemadmodum judicium nullum æstimatur, quod Inquisitores dant sine Assistentibus: sic omne habetur pro invalido, quod datur extra hunc Statum, utpote sine præsentiâ Assistentis.

Quod si ab ipso Pontifice in hunc Statum mitterentur Cardinales Inquisitores; his nulla concederetur potestas operandi sine præsentiâ Magistratus, & quicquid fecerint rescinderetur: multò minùs ipsis concedi dedet quod Romæ manentes debeant operari. Quod si hæc congregatio, quæ

componitur ex præcipuis Cardinalibus, quædam ſcripto ad nos mittat, hæc debitâ reverentiâ ab his Inquiſitoribus excipienda ſunt, & implenda, ſi non obſtet potentior ratio. Obſervato interim ſtilo officii, ubi formatur decretum nomine Judicum & Aſſiſtentium; nec mentio ejus fiat, quod foris advenit. Et quando particulare illud ſcriptum Româ miſſum, nullius eſſet uſus in alio territorio, ob circumſtantias particulares quæ ante oculos haberi debent; & ſic viſum foret Judicibus & Conſultoribus, nihil obſtabit Romanis hæc ſignificari. Aſſiſtentes verò his neceſſe non habent ſeſe immiſcere, nec ſcire illos oportet quid Romæ ſcribatur, nec ne, quidve executioni mandetur, nec ne, an à Romanis procedat, ſed tantùm debent aſſiſtere Inquiſitoribus, idque ſub nomine proprii officii.

Contenta CAP. XVI.

DEcimum ſextum Caput, quod ait captivos non eſſe mittendos extra dominium, luce clariùs eſſe debebat; quandoquidem tranſmittuntur captivi ab uno loco ad alium; aut propter juſtitiam, quando uterque locus dominii eſt ſub eodem Principe: aut verò à Principe ad Principem per mutuam tranſactionem, aut ob favorem: & in omnibus hiſce caſibus remiſſio fit, ut tranſgreſſores puniantur in loco ubi delictum commiſſum eſt. Sed Doctores dicunt, hæreſes non requirere, ut pœna ſit in loco particulari, quia hæreticus peccat contra Deum, qui ubique eſt: deinde, quia ubique peccat, ubi mordicus opiniones ſuas defendit, quocirca ubicunque caſtigatur, punitur debito loco. Atque hinc procedit communis opinio, hæreticos non alibi non mittendos, & revera conſuetudo obtinuit hæreticos puniri ubi detenti fuere, nec transferuntur

ab

ab uno ad alterum Inquiſitorem. Sola Curia Romana facilè & frequenter ad ſe cauſſas evocat, & captivos Romam venire jubet, etiamſi in eâ civitate delictum commiſſum non ſit. Hoc eſt fundamentum communis opinionis, reos hæreſios non eſſe remittendos, & de facto etiam obtinuit hæc conſuetudo, hæreticos puniendos ubi detinentur, nec eos tranſmittendos ab uno Inquiſitore ad alterum. Curia autem Romana ſolummodo facile & frequenter cauſſas evocat, & captivos Romam mittendos curat, etiamſi in eâ civitate delictum commiſſum non ſit.

Sereniſſima autem Reſpubl. quemadmodum conſentire noluit evocationi cauſſarum; nunquam etiam concedere voluit remiſſionem captivorum, ſed hoc ſtatuit, eos judicandos, ubi detenti fuêre, alioqui omnis auctoritas officii Inquiſitionis proprii dominii auferetur; in quo nihilominus Epiſcopi reperiuntur, qui nullis cedunt, virtute nimirum & ingenio, & qui-

quidem ipſi Deputati à Curiâ Romanâ: Et quia abundat civitas hominibus doctis (quibus pro conſultoribus uti poſſunt) nulla ratio ſuadet, caſus quoſlibet hic non examinandos aut decidendos eſſe. Quod ſi ad divinum miniſterium exaltandum, captivi Romam eſſent mittendi, ſpretis omnibus rationibus, idipſum procurandum foret. Attamen rem ſic ſeſe non habere, unico exemplo oſtendam, quod præteritis annis contigit, nempe 1596.

Detinebatur captivus Patavii quidam Ludovicus Petruccius Senenſis, Inquiſitor autem Romanus Patavium perſcribere debebat, prout mos eſt, indicia quæ habebat: ille autem contrarium facere conatus eſt, videlicet Romam pertrahere captivum, & quantum potuit, prꝺſtitit apud Legatum qui tum Romæ agebat, & ſimiliter apud Nuncium Venetum. Quocirca ſæpius Excellentiſſimus Senatus reſponſa dedit; non expedire mutare optimum inſtitutum Dominii, judicandos eſſe capti-

captivos ubi detenti fuêre. Ab alterâ verò parte, esse rem justam, usitatam, sine contradictione significare Inquisitori Patavino; si quid haberent contra captivum, ut justa pœna ipsi imponatur. Responsa & replicationes crebræ fuêre, semper autem ejusdem tenoris, idque per quinque annos continuos, quibus interim carceri inclusus mansit Petruccius. Tandem cùm Romæ viderent, eum obtineri non posse, Anno 1601, scripsêre ad Inquisitorem Patavinum, prædictum Petruccium liberandum esse. Atque ita dimissus fuit, mentibusque hominum hoc dubium adhæsit, quale illud delictum esse potuerit, quod impunitum potiùs manere debuerit, quam Inquisitori Patavino communicari.

Huic rei adjungam, quæ super caussis Inquisitionis, referuntur à Directorio Inquisitorum, iis nempe quæ tractantur coram Curiâ; de quibus, postquam diversa incommoda narravit, sic concludit: In hâc Curiâ caussæ tra-

ctan-

ctantur cum multo tædio, multis laboribus & expensis. Quocirca Inquisiti hic ipsorum caussas non curent tractandas, nisi in nummis fiduciam ponant, & magnatum favore. Hæc sunt verba Directorii. Credi potest, justitiam synceriùs administrari temporibus præsentibus quam præteritis; sed hoc etiam pro certo tenendum, hoc in Statu bonos & idoneos reperiri, qui caussas justè & debitè tractent: ac proinde alibi non judicandos qui in hoc dominio detinentur captivi.

Altera pars hujus Capitis, nempe processus alibi non esse mittendos, habet idem fundamentum, de quo actum est hoc Capite, & præcedenti. Quoniam, si detenti debent judicari in hoc Statu, & sententia exequenda ab eodem tribunali, nulla caussa nos cogit foris processus mittere. Interim distinguere licet inter detentos hoc in loco, aut citatos & contumaces: quia tales processus communicandi non sunt. Sed examina, aliaque facta ad petitionem

nem alterius Inquisitionis, quæ non spectant hoc dominium, requirentibus mittenda sunt. Interim Assistentes nullo modo concedere debent, hujuscemodi res tractari, absque ipsorum præsentiâ, prout dictum est Capite 13. Ut in officio Inquisitionis omnia peragantur, ut in collegio mixti generis, non verò puro Ecclesiastico.

Contenta. CAP. XVII.

Vicarium Prætorium, aut personam Assistentem loco Rectoris non debere agere Consultorem: quia sæpius evenire potest, Rectores impeditos curialem mittere, qui si consultorem agat, in processu pro tali habetur, & per consequens ut minister officii, quod assistentem non decet, & sic introduceretur consuetudo, quæ assistentiam munus superioris, mutaret in consultationem, quod est inferioris.

Contenta CAP. XVIII.

DEcimum octavum Caput, non debere concedi detentionem nisi in casibus, qui tantum officium Inquisitionis spectant, & ubi processus formatus est præsente Assistente; & ubi casus dubius, hic Principi significetur. Hæc omnia probatione non egent, quia ipsum Jus Canonicum statuit, Inquisitionem non debere assumere casus, nisi manifestæ hæreseos, imò hoc pro lege habetur, penes omnes Judices esse, exprimere casus, de quibus dubium occurrit, an ipsos tangat, nec ne. Ajunt Doctores, hoc Inquisitores non posse, sed tantùm illos debere assumere manifestos: dubios verò à Judicibus ordinariis determinari debere, tangantne eos, nec ne. Hoc quidem caput probatione vel declaratione non eget, sed diligenti observatione. Quia hoc sæpe imò ut plurimùm evenire solet, Judices, qui limitatam habent potestatem, extendere

dere quantum possunt jurisdictionem generalem tàm in Ecclesiasticis quàm civilibus. Quoniam omnes homines naturâ, propendent ad imperandum, deinde officium ex eo utile percipit. Quocirca si Inquisitores ultra debitum jus extendant, ii qui hoc permittunt, magis sunt reprehendendi, etiamsi ob bonum finem hæc fiant, nunquam tamen prudenter. Quidam ob cultum divinum eorum auctoritatem extendunt, atque hoc pacto fidem dilatari credunt. Alii autem bono zelo moti, Inquisitioni permittunt tractare blasphemias, incantationes, quidam etiam usuras; sperantes eas ob auctoritatem & severitatem officii facilius exstirpandas esse, sed eventus contrarium ostendit. Quod si interdum casus aliquis qui Inquisitioni non erat proprius, ab eâ bene determinatus fuerit, in posterum tamen similes tot & tanta mala dedêre, ut Magistratus sæcularis coactus fuerit ob meram necessitatem denuo assumere notitiam talium delicto-

lictorum, quæ imprudenter Inquisitioni reliquerant, non sine magnis controversiis, & multis confusionibus, inter officium & Magistratum. Neque hoc statuendum, tenere officium Inquisitionis intra debitos terminos, & non permittere ne casus qui manifestè ipsos non tangunt, aut similes modificationes, diminuant ipsorum auctoritatem: Imo hoc pacto potiùs extenditur, & in perpetuum conservatur. In illis regionibus ubi antehac fuit Inquisitio, & hodie expulsa est, id ipsum evenit, quod ad se traxerint, quæ populus perferre non potuit. Omnes facile jugum legitimum ferunt: sed constringi indebito modo, nemo perferre vult. Quod de nodo gordio dicitur, qui cum solvi non posset, secabatur; de omnibus vinculis humanis dici potest, quæ si injusta sint, & detenti per viam ordinariam justitiæ, liberari non possunt; tunc ad indebitos, extraordinariosque modos confugiunt, seditiones nempe, similesque

lesque pestes. Spartanus ille dixit, Regiam auctoritatem limitibus circumscribere, non facere ad ejus diminutionem sed perpetuationem. Quocirca hoc certo statuendum, officium hoc ad cultum divinum certis terminis includendum: concedere verò ei nimium auctoritatis ob zelum sine scientiâ, tandem producere contemtum divinum, damnum fidei, & confusionem publicam. Atque ita in hoc fælicissimo Statu observatum fuit, eritque in posterum, si eodem modo semper procedant.

Contenta CAP. XIX.

CApitulum 19, sortilegos nimirum & hariolos non pertinere ad Inquisitionem, est extra dubium: quoniam ipsæ Leges Canonicæ prohibent ne Inquisitores hisce sese immisceant; nisi etiam manifesti sint hæretici. Sed eo magis invigilandum, si personæ quibus imputantur hujuscemodi delicta, sint fæminæ, aut cerebri minus

con-

constantis : quæ magis indigent instructione Confessoris, quàm castigatione Judicis: præsertim si sint dignioris ordinis personæ, quales cum scandalo & exterminio familiæ coram hoc tribunali sistendos non putamus. Eadem diligentia adhibenda, ne tribunal Inquisitionis assumat casus fascini; ut dicitur Capite XX, quod glossis non indiget.

Contenta CAP. XXI.

INquisitores non debent judicare de blasphemiis ordinariis; Legibus enim Civilibus & Canonicis, atque adeo usu totius mundi decisum est, eas non pertinere ad Inquisitionem, neque hoc in dubio ponitur, ob leges manifestas. Excellentissimus autem Senatus statuit fascinationes puniendas esse à Magistratibus, quoniam pœnæ Ecclesiasticæ non sufficiunt ad castiganda hujuscemodi scelera. Eadem ratio movit Excellentissimum Senatum Anno 1595, ut idem statueret cir-

ca blaſphemias hæreticas. Et ſic maturè deliberatum fuit, poſtquam conſuluiſſent doctos ejus ſeculi. Quæ duo ſtatuta non eripiunt, nec impediunt notitiam & ſententiam Inquiſitorum, circa eos quos hæreticos præſumunt eſſe. Sed quia forum Eccleſiaſticum debitas pœnas non habet, ne impunita abeant hæc ſcelera, idipſum Magiſtratus præſtat. Neque hoc impedit officium hæreſeos; ſed caſtigatio hæc fit, ob injuriam Deo factam & damnum proximo illatum. Inquiſitores autem ad ipſorum judicium pertrahere conantur delicta maleficorum & blaſphematorum; utentes hiſce duabus rationibus. Prima hæc eſt, quando in aliquo delicto eſt aliquod principale & acceſſorium, tunc primum trahit alterum; ſed in blaſphemiis hæreticis; ubi ſuſpicio de hæreſi principale eſt delictum, quod Inquiſitores ſpectat, trahere debet blaſphemias quæ ſunt acceſſoriæ. Altera ratio eſt, quia ipſis nimis rigidum videtur

tur punire unicum delictum duabus ſententiis. Idque ex communi dicto, unum peccatum non eſſe puniundum duplici pœnâ. Sed facile hæ oppoſitiones ſolvuntur. Primò, poſito, quod ſuſpicio hæreſeos ſit principalis cauſſa (quod tamen S. Thomas non admittit) non tamen neceſſario ad ſe blaſphemiam trahit; quoniam ſic non connectuntur, ut ſeparari non poſſint, & judicium de uno ferri non poſſit abſque altero. Sed ſecularis interrogare poteſt reos de verbis injurioſis contra Majeſtatem divinam, abſque inquiſitione fidei, aut quid in animo tectum gerat. Quocirca talis connexio non eſt inter blaſphemias & hæreſes ut ſeparari non poſſint, & ſingula judicari in foro proprio & competenti.

Similiter judicandum eſt, ſi quando verbum divinum riſui exponitur, ut cum Pſalmi transformantur: tunc ſecularis judicat quatenus injuria facta eſt Deo; Inquiſitioni autem in-

cumbit examinare , an hujuſcemodi peccator ſit perverſæ fidei. Et ſi ictibus aut alio modo percutiantur imagines ſanctæ, manifeſtum erit Magiſtratus punire debere actum illum externum, quo injuria infertur Chriſto in imagine ejus : Inquiſitoribus autem inquirendum relinquitur, an tranſgreſſor peccaverit ex perversâ doctrinâ, an ſolâ malitiâ voluntatis : atque hic accuratè conſiderandum blaſphemiam hæreticam diſtinguendam eſſe ab atroce. Atrocior eſt quæ gravior & magis injurioſa ; magis autem hæretica illa unde major naſcitur ſuſpicio hæreſeos, etiamſi in ſe levior ſit, quod Magiſtratibus examinandum, & majori pœnâ caſtigandum. Inquiſitor autem magis conſiderat indicia mentis, etiamſi in ſe non ſint tàm injurioſa : unde fit ut interdum ſeveriùs judicet verba contra Sanctos prolata, quàm contra Majeſtatem divinam. Maxima pœna quæ blaſphematoribus ab Inquiſitione imponitur, eſt abjuratio :

quæ

quæ ſi cadat in perſonam vilem, vix pœna dici meretur. Quocirca ne tranſgreſſiones tàm enormes impunitæ maneant; cum ſcandalo & malo exemplo, juſtum & neceſſarium eſt Magiſtratus judicare blaſphemias, relinquentes Inquiſitioni quæ hæreſin ſpectant. Interim abſurdum non eſt, prout aliquibus videtur, eandem cauſſam à duobus Judicibus judicari, quando pœnæ ſunt diverſi generis, & finis præjudiciorum pariter diverſus eſt. Eadem cauſſa tanquam civilis & poſtea tanquam criminalis examinari poteſt. Finis judicii civilis eſt dare unicuique ſuum. Criminalis autem caſtigare uſurpatorem. Sic evenit in caſu blaſphemiæ hæreticæ. Finis Inquiſitionis eſt, ſi blaſphemator falſum credat, docere veritatem; eumque abſolvere à cenſurâ, quod falſum crediderit: finis autem Magiſtratus intendit pœnam ob injuriam factam Majeſtati divinæ. Inquiſitionis pœnæ ſunt ſpirituales, ut abjuratio, abſolutio.

Pœnæ autem quas Magiſtratus imponit ſunt corporales. Imo hoc etiam dici poteſt, non eſſe diverſa judicia ſuper eâdem cauſsâ. Sed potiùs in duabus cauſſis ſeparatis Magiſtratum judicare delictum blaſphemiæ, illudque punire pœnâ corporali: Ubi Inquiſitio ſine conſideratione delicti, judicat qualitatem ſuſpicionis, eamque pœna ſpirituali caſtigat.

Contenta CAP. XXII.

VIgeſimum ſecundum Caput loquitur de Inquiſitoribus, qui ad dilatandum jus ſuum, prætendunt ad ipſos pertinere delicta bigamiæ; idque propter hanc rationem: quia eſt abuſus matrimonii, id eſt, Sacramenti. Et in Hiſpaniâ hic caſus ad officium Inquiſitionis defertur. Verumtamen eſt communis opinio juriſconſultorum hos caſus eſſe fori ſecularis, quibus à legibus pœnæ imponuntur. Canonicum autem jus de iis non agit. Atque ita ubique obſervatum fuit, etiam

etiam Mediolani, ubi Inquiſitio quam maximè pro auctoritate agit, plus quam in aliis locis Italiæ. Neque ratio adducta, nempe eſſe abuſum Sacramenti, contra nos militat. Quia prima uxor legitimo tantùm matrimonio juncta, habet annexum Sacramentum; in eoque nullus abuſus eſſe poteſt. In ſecundâ autem, nec matrimonium, nec Sacramentum locum habere poteſt, nec ullus contractus ſpiritualis, nullitas autem de facto non de jure. Unde nec in actu primo nec in ſecundo abuſus Sacramenti eſſe poteſt, etiamſi per ſecundum actum cum ſcelere conjunctum, alteram uxorem ſuperinducendo, injuriam faciat primo matrimonio. Hæc autem non pertinent ad Inquiſitionem, quemadmodum nec adulterium. Quod ſiquis hæreſin hinc inferat, quod qui duas uxores ducit, idipſum licitum eſſe judicat, per eandem rationem omnes caſus ad ſeſe trahet Inquiſitio: quia adulter & fur ſcelera committunt, exiſtimantes ea eſſe

licita. Atque ita etiam Cingaros examinare illos oportebit, qui ex furto vivunt, quemadmodum & latrones ex rapinis. Sed contrarium præsupponendum est, omnem peccatorem habere veram fidem & doctrinam Catholicam; sed eum peccare ex fragilitate aut malitiâ vel alio affectu humano: atque idcirco eum debere puniri ab ordinario Judice: quod etiam in eo observandum qui habet duas uxores, nisi aliud sit indicium perversæ fidei. Neque verum est in Hispaniâ hunc casum absolutè deferri ad Inquisitionem: sed ordinariè punitur à secularibus per pœnam Bullæ ferri candentis in fronte. Sed quia Hebræi & Mahumet. admittunt pluralitatem fæminarum: hi solent examinari ab Inquisitione, & deinde puniri ob delicta per Bullam. Sic & in hoc loco fieri poterit. Si Judæus aut Mahumetanus fidem Christianam amplectatur, qui postea bigamus deprehendatur, per indicium procedet Inquisitio & per de-

delictum ad forum ordinarium. Sed quando ob carnis voluptates, aut dotis gratiâ, vel ob similes caussas, aliquis secundam uxorem duxerit; sine circuitione procedendum est in foro ordinario, delictumque puniendum prout requirunt circumstantiæ particulares; postponentes cavillationes, quæ inventæ sunt ad confundendas jurisdictiones, communi opinioni Jurisconsultorum & usui universali.

Contenta CAP. XXIII.

CAsus usuram spectantes, de quibus hoc Caput loquitur, extra omne dubium Inquisitionem non spectant, quemadmodum multi Pontifices hoc injunxêre Inquisitoribus, qui conati fuêre ad se pertrahere casus & quæstiones de usurâ, atque adeò decretum inseruere Juri Canonico: ubi ut excludantur omnimodo ab Inquisitione quicumque casus usuram spectantes, & ne per indirectum sub aliquâ specie ad sese judicium de iis per-

tinere prætendant, ſic loquitur Pontifex : *Etiamſi hæretico converſo Inquiſitio pro pœnâ impoſuerit, ut ablata per uſuram reſtituat, nihilominus eam non poſſe ſeſe ingerere ſimilibus caſibus.* Ob Dei miniſterium, & dignitatem officii, ſequeſtrari debent ab eo omnes cauſſæ pecuniariæ. Et nihil aliud occurrit in hoc Capite ſatis manifeſto.

Contenta CAP. XXIV.

HOc Caput vetat Judæos alioſque infideles ſubjici officio Inquiſitionis, ſed tantùm foro ſeculari. Antehac expreſsè dictum fuit ab Apoſtolo Paulo, auctoritatem Eccleſiaſticam ſeſe non extendere uſque ad eos qui ſunt extra Eccleſiam, quod etiam conſtitutum & obſervatum fuit uſque ad hæc tempora. Papa Innocent. III, declaravit eos non ſubjici Papæ, ſed legi, nec ab eo poſſe judicari, quia in virtute legis Judex exercet officium. Et quod amplius eſt, nulli infideles puniri poſſunt pœnis ſpiritualibus : atque

que idcirco non ſubjiciuntur Eccleſiæ, quæ hoc pacto tantùm punit. In lege civili ſunt prohibitiones & pœnæ contra Judæos blaſphemantes, contra eos qui proſcindunt Religionem, qui Chriſtianos ad Judaiſmum trahunt, qui violant res ſacras, qui offendunt Judæos converſos. Ipſi etiam Romani Pontifices contra delinquentes Judeos, alioſve infideles, vituperantes Religionem Chriſtianam; nullo alio remedio uſi ſunt, quam ut excitarent Principes & Magiſtratus ſeculares, ut debito modo tales punirent. Atque hâc de re multa extant decreta in jure Canonico. Princeps aliquis ad evitandam moleſtiam harum cauſſarum eas ablegavit ad Epiſcopos: quod non placuit ſummis Pontificibus.

Rex Siciliæ, Epiſcopis ſui Regni auctoritatem dedit caſtigandi Saracenos, qui in certis caſibus offenderent Religionem: Papa autem Alexander III, pariter ad eos literas dedit, ne alia delicta punirent quam quæ pe-

cuniâ aut virgâ castiganda essent, sine sanguinis effusione. Quod si crimen majorem pœnam exigeret, idipsum relinquerent brachio temporali. Hæc auctoritas stabilita per Apostol. Paulum, quem suprà citavimus, unà cum legibus civilibus & Canonicis, quam usus confirmavit, à nemine in dubium vocari deberet. Attamen, desiderium extendendi auctoritatem quosdam excæcat, atque in eum finem rationes nullius momenti prætexere solent, dicentes: Si Deus punit & punivit infideles: oportet & Papam idipsum facere, & Inquisitores ejus legatos. Ratio autem quare omnia delicta fidelium & infidelium, omnia occulta peccata, solius etiam mentis punire possint, hæc est, quod Deus ea punit. Hoc quidem verum est, Christum vicariis suis non dedisse potestatem nisi in rebus spiritualibus, idq; in Ecclesiâ: quocirca non possunt judicare nisi Christianos, neque eos punire nisi pœnâ spirituali. Commisit autem Deus pœ-

nas

nas temporales poteſtatibus ſecularibus, ad caſtiganda delicta, omniumque peccatorum cujuſvis Religionis. Argumentari autem ab omnipotentiâ divinâ ad auctoritatem humanam, eſt præter reverentiam debitam Divinæ Majeſtati. Amplius autem hic conſiderandum; Dicunt, Infideles etiamſi ſubditi non ſint Eccleſiæ, interim ſi quando eam offendant, licere caſtigando eos ſeſe defendere, idque per hanc regulam legis: quod qui non eſt ſubditus alicujus territorii, talis fit, ſi quando in eo delictum committit. Quæ omnia ſanè intellecta vera ſunt, ſed hâc in re nihil concludunt. Negari non poteſt defenſio Eccleſiæ, ſiquando ea offendatur. Sed ea ſemper fieri debet per Magiſtratum. Infidelis quia ſacra violat, qui offendit Religionem, non debet abire impunitus: & Eccleſiæ licet ſe defendere non propriis viribus, ſed auctoritate Magiſtratus.

Caſtigare non eſt offenſæ partis ſed

Judi-

Judicis: & si quando delinquens forum declinat, non fit subditus offensæ parti, alioqui omnes privati offensores punire possent; Sed subditus fit Judici, in cujus loco delictum commissum est. Quocirca tales rationes nihil aliud probant, quam læsiones infidelium contra Ecclesiam, puniendas esse à foro ordinario seculari: idque eò plus, quod Leges divinæ & humanæ talia delicta atrociora judicant, quam quæ convenienter ab Inquisitione puniri possunt.

Anno 1581, Papa Gregorius XIII, Bullam edidit contra Hebr. per quam judicio Inquisitionis submittit eos, aliosque omnes infideles, quod si ea observanda foret in decem quidem casibus, nullus infidelis nec habitare, multò minùs negotiari posset apud Christianos. Bulla hæc licet impressa sit, in paucis locis tamen est publicata aut recepta, observaríque nequit. Imo ipsi Pontifices Sixtus V, & Clemens VIII, sine ejus consideratio-

ne

ne ſalvum-conductum dedere Maranis, tranſeuntibus Anconam. Et quod maximè rem tangit, cum congregatio Cardinalium Inquiſitoribus mandata dat, Hebræorum aut Infidelium nulla fit mentio. Argumentum manifeſtum eos hac in parte nihil poſſe prætendere. Sed de hâc Bullâ Gregorii XIII, atque aliis opportunior locus agendi erit cap. 28. Officium ergo Inquiſitionis inſtitutum contra hæreſes non oportet ſeſe extendat ad alia delicta. Infidelitas non eſt hæreſis. Et quæ infideles committunt in damnum aut vituperium fidei, non debent examinari ab Eccleſiaſticis, facillimè ab ſecularibus cognoſci & puniri poſſunt; quocirca ſic obſervari oportet, quia idipſum nititur mandato legis divinæ, Canonicæ & civilis.

Contenta CAP. XXV.

OFficium Inquiſitionis extra hoc dominium prætendit judicare Chriſtianos Orientales in quibuſvis arti-

articulis, etiam iis in quibus dissentiunt à Curiâ Romanâ. In hoc autem serenissimo dominio, in quo Princeps Græcam nationem protegit, non tàm latè extendunt prætensiones ipsorum, hoc tantum statuentes: In Græcis tolerandas esse tres illas opiniones in quibus dissentiunt ab occidentalibus: Sed si quis ipsorum sinistram opinionem conceperit in iis articulis in quibus nobiscum conveniunt, eum oportere subjici Inquisitioni. Quæ distinctio superflua est, & æquè opponitur protectioni Principis, ac tres isti articuli differentes. Superflua, quia cùm Græci in communibus articulis nullam hæresin doceant, casus non potest occurrere contra protectionem, quia secundum ritus ipsorum in nullâ caussâ tenentur agnoscere alium superiorem, quam proprios Sacerdotes. Quod an justum sit nec ne, facillimè decidi potest per consuetudines quæ semper observatæ fuere.

Ecclesiæ Orientales & Occidenta-

les concorditer & pacificè vixere per annos circiter 900, quo tempore in honore fuit & reverentiâ Pontifex Romanus tàm apud Græcos quam Latinos; agnitus pro successore Petri, & primus inter Episcopos Catholicos.

In persecutionibus hæreticorum ejus auxilium imploravêre, & reliquorum Episcoporum Italiæ, & ita facillimè pax conservata fuit: quia suprema potestas consistebat in Canonibus, quibus utraque pars subjiciebatur. Disciplina Ecclesiastica severè exercita fuit à propriis Prælatis in omnibus regionibus, non secundum arbitrium cujusvis, sed absolutè secundum dispositionem & rigorem Canonum; cùm nemo injiceret manus in alterius regimen, auxiliantes invicem in observatione Canonum. Eo tempore nemo Pontificum Romanorum præsumebat conferre beneficia in diœcesi alterius Episc. neque Curia pecunias exhausit per dispensationes & Bullas. Divisiones autem natę sunt ex eo tempore,

pore, ex quo Curia Romana sese superiorem voluit omnibus Canonibus, & contendit sese posse ad proprium arbitrium mutare leges Patrum, Conciliorum atque adeò Apostolorum; atque tentavit in locum primatus sedis Apostolicæ, introducere dominium absolutum, quod nec leges nec Canones reciperet. Et quamvis ab hinc 700 annis, sæpius unio & pax harum Ecclesiarũ tentata fuerit, nunquam tamen ea obtineri potuit; frustra disputantes, sine ablatione abusuum, unde hoc schisma provenit, atque eâdem de caussâ etiamnum durat.

Quo tempore Ecclesiæ unitæ mansêre, ab omnibus recepta fuit doctrina S. Pauli, atque observata, quoad res publici regiminis, singulos subjectos esse debere Principi; quia sic jubet Deus; cui resistunt qui potestatibus secularibus non obediunt. Nemo unquam præsumere ausus sese esse exemptum debere à pœnâ postquam delicta commisisset, quia talis exemptio damnata

nata eſt à Deo & hominibus. In omnium ore verſabantur verba S. Pauli, videlicet : Vis non metuere poteſtatem? quod bonum eſt facito, & laudem ab ipsâ obtinebis : quod ſi feceris quod malum eſt, metue, non enim fruſtra gladium gerit, nam Dei miniſter eſt, vindex ad iram ei qui quod malum eſt, fecerit. Poſt ſchiſma Eccleſiarum Orientalium eadem ſtat ſententia; nempe; Chriſtianum omnem quoad res ſpirituales, ſubjici Eccleſiaſticis; ſed quoad temporalia Principi. Nihil autem magis temporale quam delictum, quod etiam maximè ſpiritui contrarium.

Etiamnum perſeverat hæc doctrina apud Græcos, Epiſcopos judicare debere, quænam opinio ſit Catholica, quænam verò hæretica, ſed caſtigare eos qui damnoſas opiniones profitentur, pertinere ad ſeculares. Poſitis autem hiſce manifeſtis veritatibus, ob quatuor rationes Inquiſitio Græcis non debet obtrudi. Prima hæc eſt,

quam-

quamdiu caussa indecisa manet, præter rationem est unam partem judicare alteram in propriâ causâ. Hæc autem est controversia inter Græcos & Curiam Romanam, quod ii requirunt observantiam Canonum, qui omnes nationes subjiciunt propriis prælatis. Curia autem Romana prætendit se superiorem esse omnibus Canonibus. Quocirca Græci à ministris Romanis judicari non possunt in hâc controversiâ. Secunda ratio est; quia constat ante schisma Græcos subjectos fuisse Magistratui seculari in judiciis temporalibus, & in spiritualibus ipsorum superioribus; quocirca justum observari hanc rationem & consuetudinem.

Tertia ratio hæc est, quod Princeps concedendo Inquisitioni judicium in Græcos, semetipsum auctoritate privabit, quâ cum quiete uti poterit; alii verò magnas turbas dabunt. Auctoritas puniendi delicta Græcorum circa Religionem commissa semper penes Principem fuit: atque hoc Græci hu-

hujus temporis fatentur, & desiderant ut porro sic fiat. Quocirca justitia à Magistratu pacificè administrari poterit; ab Inquisitione verò multis contentionibus & contradictionibus. Quarta ratio est, quod Serenissima Respublica concedit Græcis vivere secundum ipsorum ritus, qui tales sunt, quod in rebus secularibus & in pœnis cujusvis delicti subjici debeant Principi seculari; Presbyteris autem ipsorum obediant in spiritualibus. Quocirca ob datam hanc promissam protectionem, aliis subjici non possunt. Quocirca permittendum non est, Inquisitionem investigare quid Græci faciant aut credant in occulto, quod si ad alicujus aures perveniant scandalosa ipsorum dicta in Latinos; suppeditatur ei promptum & facile remedium, notificando idipsum Magistratui, qui justitiam administrabit, præsertim in tali re, ut obviam eat scandalis & tumultibus.

Contenta CAP. XXVI.

VIgesimum sextum Caput, publicè non esse citandum qui trans Alpes delictum aliquod commiserit in aliis regionibus; talis casus primo intuitu videtur non posse occurrere, vel saltem esse parvi momenti: Interim si hæc porta aperiatur, erit frequentissimus & maximi momenti. Papa Clemens VIII, Anno 1595, Bullam dedit, quoad solos Italos, vetans ne quis eorum, mercium ergo loca frequentaret in quibus nullus esset parochus aut publica Ecclesia secundum ritus Romanos, nisi fortè id permittatur ab Inquisitoribus, idque eâ conditione, ut quotannis Inquisitioni mittant authenticas literas, ex quibus appareat ipsorum confessio & communio. Et ut hæc Bulla observari possit, solent Jesuitæ tales exteros observare, & interrogare num licentia ipsis data sit: quod si obedientiam & contributionem ipsis non promittant, examinant eos qui ei adhæ-

adhærent, & occultè ejus processum formant, Romamque mittunt, unde Inquisitori notitia datur, qui eum evocat in locum, unde oriundus est.

Hæc citatio antehac fieri solebat ab Inquisitore Romano, sed idipsum jam cavent, quia Transalpinæ civitates per formam retorsionis tunc agere solent contra subditos Curiæ Romanæ : ut autem hoc periculum evitare possint, eos non Romæ sed in loco originis citant. Hæc autem inventio sub prætextu Religionis, eò spectat, ut Curia Romana se dominam faciat omnium mercium transmontanarum ; quemadmodum & ante trecentos annos ad se traxit merces orientis.

Quocirca non erit inconveniens narrare quid tunc factum fuerit, & quem exitum hæc res habuerit, præsertim in hâc civitate, ut meliùs & penitius percipere possimus, quid etiamnum fiat.

Defensio facta fuit ne arma alia vel instrumentum infidelibus suppeditarentur

rentur quibus bellum Christianis inferre possent; id decretum reverâ honestum ab omnibus receptum fuit. Prompta hæc obedientia Pontif. Clementi V, spem dedit ulterius procedendi, quocirca Anno 1307, Bullam promulgavit, ne quis merces ullas transveheret ad partes orientis, néve quis idipsum permitteret, sub pœnâ excommunicationis, & censuris gravissimis spiritualibus & temporalibus. Et quod nemo qui idipsum fecisset aut permisisset, absolvi posset antequam exactè integram summam solvisset. Difficilis atque adeo impossibilis observatum fuit hæc Bulla. Transgressores ejus multi fuere Venetiis, qui in vitâ eam flocci pendêre; sed tempore mortis, ut absolutionem consequi possent, ex mandato Papæ, ad restitutionem nummorum adigebantur; quam efficaciter urgebant Confessores, negantes absolutionem non solventibus. Multi qui sæpius hoc iter peregerant, se animam debere fatebantur: quocirca

circa ad ſublevationem conſcientiæ, omnia terrena bona in manibus Papæ relinquebant. Hæredes verò & executores Teſtamenti promiſſa ut plurimùm deferre ſolebant, utpote in ruinam familiarum, & publici damnum.

Atque exhinc admodum aucta fuit Papæ poteſtas, ita ut per quindecim annos quaſi exhauriverit hanc civitatem nummis: ad quos dum animum applicat ſucceſſor ejus Johann. XXII, qui eos undique congeſſit, Anno videlicet 1322, Venetias miſit Ardenarum Largum, & Falconem Ciſtarium, Nuncios, ut corraderent, quæcumque Papæ Teſtamento adſcripta fuere, cogendo Notarios & alios, ut producerent Teſtamenta, excommunicantes eos, qui non conſignabant ea. Atque inſuper in mandatis dedit Nunciis excommunicandi eos qui in haſce partes navigaſſent, niſi pretium mercium perſolverent. Hi Nuncii ſimulac Venetias appulere, erexêre tribunal, multaque inſolita fecêre, inter alia,

quod excommunicaverint nominatim Procuratores S. Marci, & plus quam ducentas personas, viros & mulieres ob prædictas caussas. Consultores Reipubl. hujus temporis, inter quos tunc erat Andreas Episcopus Clodiensis, declaravêre actiones Nuntiorum illegitimas, iisque obviam ivere appellationibus, aliisque remediis; atque iis tantum præstitere, quod nihil actum sit per Nuntios. Multa hinc incommoda nata sunt, ut in similibus evenire solet, quæ per duos annos continuos pressêre Rempub. Unde Pontifex coactus fuit huic malo remedium adferre quod gravius ipsi morbo fuit, Anno 1324, Bullam evulgavit, in quâ fatetur censuras Nuntiorum suorum fuisse nimiùm severas: quocirca ait sese, eas revocare, idque per Archiepiscopum Ravennatem, denuncians interim ut omnes tam viri quam mulieres quos censura tetigerat, sese sisterent tempore præscripto coram Curiâ Romanâ, quæ tunc Avenioni erat,

erat, ut in propriâ perſonâ aut per procuratorem tractarent cauſſas ſuas, nemine excepto, niſi Duce & ſodalitiis. Faciebat hoc ad incrementum Curiæ, ut ducentæ perſonæ ad eam tenderent, idque nummorum cauſsâ. Sed nondum mihi liquidò conſtat, ſi multi an pauci hâc in parte ſeſe Pontifici præſtitêre obedientes. Illud verò conſtat, opinionem hanc à multis defenſam fuiſſe; merces infidelibus portare non eſſe peccatum, modò non ſint ad miniſterium belli: quocirca idipſum Papam non poſſe prohibere.

Unde denuò Papa irâ commotus Bullam edidit, per quam omnes hæreticos declarat, qui ajunt peccatum non eſſe infidelibus merces, quamvis tales non ſuppeditent quæ bello inſerviunt. Sed eo tempore controverſiæ, quas Pontifex habebat cum Imperatore, erupêre in bellum manifeſtum. Unde reliquum vitæ, majoribus negotiis occupatus (ut ſcribit Ludovicus Bavarus) hiſce minoribus non potuit

insumere. Successor autem ejus magis temperans fuit, non quod omnino decretum revocaverit, prout justum fuit, sed tantùm licentiam concessit. Et Serenissima Respublica eam petiit, atque eam obtinuit, interdum ad annum tantùm, interdum ad longius tempus, semper autem determinatum: numerus autem navium certus, subinde verò indefinitus. Hæ licentiæ magni constabant, sed non clarè apparet quanti. Hoc tantum speciatim adjungam, Innocentium VI, Anno 1361, pro unâ licentiâ accepisse 9000 ducatorum aureorum; ratio quam addu-cebat erat hæc, quod Fiscus Apostolicus esset exhaustus, & dominus opus habebat. Hæc gravamina duravêre ad Annum 1400, ex quo tempore mundus manifestius cognovit veritatem, mercaturam hancce exercere esse liberum & licitum; unde háſce prætensiones Curia reliquit. Jam verò ne quis sine licentiâ commigret in regiones, quæ Papam non agnoscunt, alium colo-

colorem invenêre magis ſpecioſum; dicentes, hoc fieri, ne quis falſam imbibat doctrinam. Quaſi verò, literæ ſcriptæ & obſignatæ antidota ſint, & qui ſine licentiâ decedat, conſervare ſeſe intactum non poſſit; aut impoſſibile ſit contaminari eum qui ſcriptas literas licentiæ ſecum portet. Unde clarè apparet tales prohibitiones in exteras regiones, non procedere ex zelo Religionis, ſed ex deſiderio dominandi in ſeculares, & cupiditate nummorum. Si ergo juſta libertas mercaturam exercendi hoc gravamen ſecum non affert, non eſt permittendũ, quod ſi quis hic Catholicè vixerit, & trans montes peregrinatus fuerit, etiamſi hinc abierit ſine Inquiſitoris licentiâ, ob idipſum tamen moleſtiæ ei non ſunt exhibendæ, neque ejus negotia incommodis afficienda: quamvis ei talia Romæ imputentur, cum opprobrio parentum, qui quaſi ſtigmate notantur, præſertim ſi eos Romæ citari nolunt, quia metuunt Tranſ-

alpinas civitates, quarum libertas hoc pacto læditur, neque æquum est eos sese abscondere; atque hoc pacto per indirectum invadunt mercimonia transmontana.

Proinde si quis subditus hujus dominii, ut bonus Catholicus alibi vixerit, & ob sua negotia trans montes abierit; si verò autem nondum redierit, justum non est molestias ei creari, ob rumores qui de eo sparguntur.

Contenta CAP. XXVII.

STatuit hoc Caput ob hæresin bona non esse Fisco addicenda; hic autem usus jam diu est introductus, & stabilitus sine contradictione: reliquum est, ut in posterum observetur, quia facit ad Dei cultum & Religionem, cui immiscere rem nummariam semper perniciosum fuit; nam hoc pacto mundus scandalum accipit, cui persuaderi non potest ibi cultum divinum primum locum obtinere, ubi pecunia intervenit. Hoc præscriptum sem-

ſemper culpabit Curia Romana; quia idipſum accuſat ſcita Romana nimiæ ſeveritatis. Et ratio etiam pro illis pugnare videtur, quia hæreſis offendit divinam Majeſtatem, quam plus quam humanam punire decet. Quocirca omnis ordo perverti videtur, cùm plus puniuntur qui homines, quam qui Deum offendunt. Quare ſi Fiſco adſcribuntur eorum bona, qui Majeſtatem humanam lædunt, quantò magis eorum qui Divinam offendunt, ut fit ab hæreticis. Sed hæc ſpecies eſt umbra ſine corpore; quia proprias ipſorum conſtitutiones condemnat, quæ remittunt delictum hæreſeos primâ vice commiſſum: quod tamen non fit in offenſione Majeſtatis humanæ: unde etiam inferre liceret minoris ab iis fieri offenſa contra Deum, quam contra homines commiſſa. Veriſſimum autem eſt in pœnæ impoſitione non attendi tantùm gravitatem delicti, ſed etiam circumſtantias damni, quod aliis infertur, aut conjuncta inhoneſtas, aut

voluntas peccatoris perversa. Majestas humana non læditur, nisi malitiâ & studio lædendi. Hæresis autem sæpius provenit ex ignorantiâ, quocirca commiseratione ut plurimùm digna est, illa verò nunquam. Pœnæ autem magis ad exemplum, quam ob castigationem peccatoris fiunt. Si ob læsam humanam Majestatem Fisco addicuntur bona terrena, hoc in malevolis vel ob proles interdum timorem incutit, qui vel ob hanc caussam malos erga Principem affectus frænant. Sed in casu hæreseos omnes sese moveri videntur à spirituali causâ, neutiquam filiorum morti post-ponenda. Eventus ostendit, per Dei gratiam, hunc felicissimum Statum, esse mundiorem à zizaniis hæreticalibus, sine ablatione bonorum, quam ubi ea cum severitate auferuntur. Quocirca non videndum quid alii dixerint, aut fecerint: sed quem ordinem nos ipsi experientiâ optimum comperimus.

Contenta CAP. XXVIII.

VIgesimum octavum Caput dicit, Bullas Romanas veteres aut novas, sine licentiâ expressâ Principis non esse publicandas, quod est necessarium maximíque ponderis ad conservationem Inquisitionis. Super hâc re exponam primò rationes juridicas, quare idipsum sit necessarium observatu; postea incommoda quæ idipsum sequerentur, referam, si idipsum negligeretur.

Quemadmodum certum est, unumquemque mutare posse modum regiminis pro suo beneplacito in propriâ Jurisdictione, sine communicatione aut consensu alterius: Sed ubi per contractum & pactum inter duos erectum est tribunal; unus solus, etiam optimis & indubitatis rationibus fultus, idipsum mutare non potest, sine consensu alterius partis contrahentis. Talis est natura contractus & pacti. Quod si ob variationem temporum

aut alias circumſtantias mutatio neceſſaria ſit, ea legitimè non fièt, niſi utrâque parte conſentiente.

Certiſſimum eſt officium Inquiſitionis in hoc Dominio inſtitutum fuiſſe conſilio Senatus majoris, & per conſenſum ſummi Pontificis, ab Anno 1289, idque certis conditionibus; quocirca nulla novitas poſterior ſuperveniens idipſum mutare poteſt, ſine conſenſu utriuſque partis. Quocirca Curia Romana nulla nova decreta hanc materiam ſpectantia formare poterit ſine Principis conſenſu. Hæc eſt vera cauſſa, quare Bullæ Romanæ ex eo tempore factæ nos non obligent. Nec objici poteſt diverſa tempora requirere diverſa decreta, & Pontifices ob commodum regiminis novas leges tradidiſſe, quas æquum eſt recipere. Ad hæc reſponſio manifeſta dari poteſt: Quemadmodum nihil in hoc mundo immutabile eſt, & ſæpius conſuetudines ad tempora & perſonas accommodandæ ſunt: ita

æquissimum est, id fieri debere ab iis ad quos idipsum spectat. Si quis privatus Rempublic. solus regere vellet, licet ejus intentio bona foret, & felix exitus; esset nihilominus transgressor legum divinarum & humanarum.

Eadem ratio quæ fuit olim, ut Inquisitio institueretur per pactum, hoc tempore etiamnum jubet, nullas novas Leges debere fieri, nisi per pactum. Nec sufficit ad vim Legis, dicere, id æquum est & conveniens, sed de ejus essentiâ est, eam constitui ab eo, qui habet plenam auctoritatem. Nec hoc tantùm dicitur ad conservationem potestatis & jurisdictionis, sed ob necessitatem boni regiminis.

Non fuit instituta tunc temporis Inquisitio hoc in loco iisdem conditionibus, ac in aliis locis Italiæ, quia alia erit hujus Reipubl. constitutio, quam aliorum statuum. Diversæ considerationes efficere possunt, ut aliquid Romanis sit utile, Venetis verò non item. Quocirca justum non est, statim exi-

gere ab hoc dominio, id quod Pontifex constituit, ob propria commoda; sed primò considerandum est an huic loco conveniat, quod solus Princeps facere potest, utpote qui Reipublicæ necessitates optimè novit. Quocirca etiamsi Bulla nova vel vetus Rectori videatur honesta & utilis; proprium tamen judicium hic sequi non debet, quia Principis est judicare, quid sit expediens. Neque Episcopis aut Inquisitoribus displiceat, quæ justa & legitima sunt, debito etiam modo & formâ administrari. Inquisitio Hispaniæ, quæ similiter per pactum instituta fuit, eodem modo in hâc materiâ procedere solet. Habet suas leges & consuetudines, secundum quas regitur, neque eas mutat propter novas leges Romanas. Sed si ob publicas considerationes Curia judicaverit nova quædam introduci debere in Hispaniâ, idipsum significatur Concilio Regio Inquisitionis: ubi postquam consultatum fuit, prout res Hispaniæ exigunt, ea

recipiuntur in totum, aut ex parte, aut etiam planè rejiciuntur.

Quàm autem ſint neceſſaria obſervatu, quæ hoc Capite continentur, ad conſervationem propriæ poteſtatis & Juriſdictionis, & ad repellenda infinita incommoda; hæc ſequentia oſtendent.

Ut primò loquamur de Bullis antehac factis, multæ ſunt planè contrariæ ſtatutis huic Sereniſſimæ Reipublicæ, quemadmodum eæ quæ jubent, hæreticos publicè vivicomburio affici, Fiſco addicenda eorum bona, & cenſurâ afficiendos Principes, qui idipſum non præſtant; deſtruendas ædes ubi hæreticus inventus fuerit, etiamſi ejus non ſint; pecuniam cavere ab iis, de quibus incidit ſuſpicio hæreſeos, eos Catholicè victuros. Officium Inquiſitionis, Curiam armis propriis ſtipatam habere. Hæc omnia à Pontificibus decreta adverſantur conſuetudinibus hujus regiminis. Alii nimiam auctoritatem Inquiſitoribus attribuunt, qui ipſis licentiam dant portandi arma, & con-

ſcribendi cruceſignatos, quod fieri non poſſet ſine maximâ confuſione. Quædam verò leges nimiùm ſunt ſeveræ, & huic ſtatui nullo modo expediunt; quemadmodum illa quam Paulus IV ſtatuit, non ignoſcendum ei, qui aliquem è quinque articulis ab ipſo nominatis tanquam verum ſuſtinuerit; etiam primo peccanti & pœnitenti vitam auferendam. Alia verò eſt Pii V, nullam ſententiam in favorem imputati rei, qui innocens repertus fuit, haberi poſſe pro re judicatâ, etiam poſt purgationem Canonicam: ſed officium eandem rem repetere poſſe ſuper iiſdem indiciis, quod eſt perpetuis tormentis afficere miſeros. Alia verò conſtitutio ejuſdem hæc eſt; quicumque offenderit aut perterrefecerit tantùm Notarium, vel miniſtrum officii, aut teſtem examinatum coram officio, talem excommunicandum eſſe ut reum Læſæ Majeſtatis in ſupremo gradu, puniendum pœnâ capitali, bona ejus Fiſco applicanda, filios ejus in-

famiâ

famiâ paternâ ſtigmatizandos, incapaces ullius hæreditatis per teſtamenta. Cui pœnæ etiam ſubjiciuntur, non tantùm qui incarceratos liberat, ſed qui id tantùm tentaverit, etiamſi non evaſerint captivi. Qui aliquo favore hoſce proſequitur, qui intercedit pro iis; hic etiam acerbiſſimis cenſuris petitur, etiamſi hi tales ſint titulo Illuſtres, vel etiam Principes. Atque hæc eſt illa Bulla quæ jam emanavit ab Anno 1569, ſed nunquam fuit recepta, aut publicata in hoc Statu.

Cardinalis Arrigonius poſt 48 annos, nempe Anno 1617, præſcripſit Inquiſitioni hujus Civitatis Venetæ, ut eandem Bullam imprimerent & publicarent; idque etiam factum fuiſſet, niſi Reformatores Illuſtriſſimi ejus temporis ex mandato Excellentiſſimi Senatus, idipſum prohibuiſſent. Omnes facillimè conſiderare poſſunt, quot lites naſcerentur quotidie, ex unico verbo, quo Notarii, teſtes, delatores ſe læſos crederent, & quot quotidie

miſeri

miseri vexarentur. Prolixum nimis foret ea narrare quæ non conveniunt consuetudinibus hujus loci; sed hæc sufficiunt ad ostendendum quod promiscuè omnes admitti non possunt, quin lædatur publica autoritas & tranquillitas. Quod si leges aliquæ sint necessariæ & utiles ad castigandos hæreticos, æquum est eas recipi. Discernere verò quænam eæ sint, proprium est Principis, nec alius scire potest. Neque quis præsumere debet, eas hic sine confusione admitti posse, quia eæ Romæ vigent, & quietè recipiuntur: quia admodum diversum est regimen Romanorum, ab aliis Principibus.

Romani se superiores jactant omnibus decretis; si ipsis videtur, observant ea, si non, rejiciunt ea, aut diminuunt, omnia verò ad proprium commodum, sive observentur, sive non; quia non reguntur à legibus, sed ipsi leges regunt. Contrarium verò fit in aliis Statibus, ubi post publicationem

aut receptionem legum, eæ non ſunt ampliùs in poteſtate Principis: unde multa incommoda oriuntur, ob quæ tollenda Romam evolare oportet, ubi aures præbentur, aut non, ex uſu ſuo, non verò ad commodum aliorum Statuum. Et hoc eſt quod maximè deſiderat & quotidiè tentat Curia Romana, ſub prætextu Religionis, adminiſtrare & arripere ea ſine quibus regimen non conſiſtit; ut penes ipſam ſit arbitrium omnium Statuum. Hâc de cauſsâ Pontifices cùm decreta aliqua publicari deſiderant, ſemper adjungere ſolent; ſi inconveniens aliquot occurrat, eos remedium allaturos eſſe. Quod ſi remedium non procedat ab ipſo Principe, ſed ab iis, qui aliud intendunt, pejus erit ipſo morbo. Deus, cujus opera ſunt perfecta, qui eſt author omnium Principatuum, omnibus authoritatem neceſſariam ad gubernandum dedit; neque eam ab alio datam agnoſci vult, quàm à ſuâ divinâ Majeſtate. Quicquid verò Princeps
ab

ab alio datum agnoſcit quàm à Deo, ſapit ſervitutem & ſubjectionem. Hoc verò generatim dixiſſe ſufficiat circa ea, quæ ſpectant publicationem & receptionem decretorum Pontificiorum, quoad hæreſin. Sed multò diligentiùs vigilandum erit, circa ea quæ in poſterum ordinabunt. Antehac decretorum numerus eſt determinatus. Scitur, ubi recepta ſunt vel non, quomodo ea obſerventur, quas interpretationes admittant, quò ſpectent, quos bonos vel malos effectus dare poſſint. In poſterum verò, ſi talis libertas Curiæ Romanæ permittatur, in infinitum numerus abibit. Ubi novum aliquod fabricatur, quis ſcit, an mundus idipſum recipere volet, necne. Scopus fabricatoris nondum eſt detectus. Experientia necdum docuit quos fructus producet, quocirca procraſtinatio hâc in re multum utilitatis ſecum afferre ſolet. Neque hoc dicimus, novas æquas diſpoſitiones non eſſe recipiendas; modò eæ non dentur tanquam

quam ſubditis, qui ad eas tenentur; ſed ex contractu & pacto communi, prout inſtitutio hujus officii requirit, prout jam dictum eſt, idque ob multas conſiderationes, & multa pericula quæ novitas ſecum trahit. Non ſolet Curia Romana multis commonefactionibus uti in formandis novis Bullis: facillimè eas emittunt, facillimè eas revocant, derogant, diminuunt, prout commoda ipſorum propria requirunt, quia ea tantùm quærunt. Sed quod uni Statui prodeſt, non ſemper prodeſt alteri. Salus hujus Dominii requirit, inviolatam conſervari Religionem, quoad omnes ſuas partes, ſine ullâ mutatione aut novitate. Curia verò Romana omnes mutationes fugit, per quas Pontificia poteſtas diminuitur, aut minus utilitatis trahit. Quod ſi novitas ei utilitatem aliquam adfert, aut temporalem auctoritatem diminuit, cum augmento Eccleſiaſticæ poteſtatis; tunc eam non abhorret, imò quam maxi-

maximè procurat, ut quotidie videre licet.

Hæc Sereniſſima Reſpubl. quemadmodum & alii Reges Catholici verſantur inter duo extrema, Poteſtantes eò ſpectant ut diminuant poteſtatem Eccleſiaſticam; Curia verò, ut eam ſemper augeat, temporale verò regimen ſibi ſubjiciat. Unde Reges & Status Catholici, ob conſervationem propriam omnes novitates rejiciunt; omneſque mutationes, experientiâ docti, perniciofas judicant. Reverentia, quam meritò ſecum portat Religio, facilem ingreſſum dat deceptionibus, quæ teguntur pallio ſanctitatis. Ob defenſionem Religionis contra hæreſin officium honore afficitur: atque eâ de cauſsâ, ſi Curia novitates introducere cupit, libenter eo utitur, hoc ſtatuentes, mundum non ſubolfacturum ipſorum proprium finem. Atque hoc egêre antehac, ſed non tàm ſubtiliter ut hoc tempore. Senatores tamen ejus temporis diligentes

gentes fuêre. Mixtum officium contra hæresin voluêre, omnibus novitatibus sese opposuêre, Ecclesiasticis nihil quicquam permisêre, quam re priùs cognitâ & examinatâ. Atque hæc vestigia eos premere oportet, qui hanc Rempubl. salvam conservare volunt; non permittentes novas Bullas aut decreta recipi ab hoc Statu; nisi primò maturâ deliberatione examinatæ fuerint, an aliqua inconvenientia secum portent. Atque hoc proprium est Principis, quia solus novit quid publico conveniat aut non.

Contenta CAP. XXIX.

NOn fore licitũ Inquisitioni edere ullam prohibitionem cujuscunque generis librorum, nisi observatis conventi pacti conditionibus.

Caput hoc vigesimum nonum de promulgandâ librorum interdictione nihil difficultatis habet, cùm supersit contractus quidam sancitus anno millesimo quingentesimo & nonagesimo

sexto,

ſexto. Notandum verò in primis non hic agi de re levis momenti, quippe quæ tam ſcrupulosè fuit examinata hinc à parte Sedis Apoſtolicæ, inde à parte Sereniſſimæ Reipublicæ, abſumptis in hoc tractatu plus minus quatuor integris menſibus, cui interfuerunt pro Pontifice maximo, Cardinalis, Legatus Apoſtolicus, tùm Inquiſitores, pro Republicâ verò, primarii Senatores: argumentum evidens, negotium illud utrinque habitum fuiſſe maximi ponderis: & quanquam hic contractus tantâ circunſpectione fuerit ſtabilitus mutuo utriuſque partis conſenſu, Eccleſiaſtici tamen non deſponderunt animum, facilè poſſe oblivioni tradi & in deſuetudinem abire: quapropter tum temporis ſedulò inſtabant, ne pacti hujus plura quam ſexaginta imprimerentur exemplaria, hoc nempe fine, ut non niſi in paucorum manus pervenirent, cùm è contrario innumeri exſtent librorum Indices, qui omnium mani-
bus

bus teruntur, quibus Ecclesiasticis solis conceditur in rem librariam potestas, cujus omnes omnino mortales vellent esse conscios, ignaros autem hujus ex pacto limitationis, ut ita tandem obliteraretur atque evanesceret. Hoc cùm intendat Curia Romana, vix annus est ex quo sub nomine Magistri sacri Palatii in lucem prodiit Catalogus novæ prohibitionis, cum adjuncto mandato, ut reciperetur in quâlibet civitate, regione, locoque cujuscunque regni, populi, nationis ubicunque aut quocunque tandem modo edictum illud innotuerit, licet absque promulgatione. Index iste pòst mittitur Inquisitoribus, ut per Sacerdotes executionem, quoad possunt, diligenter procurent; atque hoc pacto contractus irritus ac delusus paulatim obsolescit. Pessimum autem est, quòd cùm Index ille recuditur vel in hâc ipsâ urbe, curant inseri novas illas librorum interdictiones, idque attentarunt ipso hoc anno; & nisi continuò præcaveatur eâ

quâ

quâ jam fit diligentiâ, ejuſcemodi machinationibus viam ſibi aperient ad omnimodam pacti conventi deſtructionem: cæterùm quis ſcopus eorum ſit, dum tantoperè ambiunt dominium abſolutum in rem librariam, quantum verò interſit Politicis ne voti ſui compotes fiant, quanquam primo aſpectu haud appareat, paululum tamen attendenti oppido nimis erit manifeſtum. Ipſa quidem librorum materies, res videtur exigui momenti, quippe conſtat litteris ſolummodo, verbis ac vocabulis: verum enimverò hæc ipſa verba ingenerant in animis hominum opiniones à quibus deinceps pullulant diſcordiæ, ſeditiones, bella denique: Verba quidem ſunt, fateor, ſed quæ valent armatos exercitus in partes trahere. Hic autem inficiari non poſſunt Romani, aſpirare ſe ad duo quam maximè ardua: primùm, ut penes ipſos ſit, prohibere libros non ſolùm, qui tractant de Religione, ſed de quocunque alîus generis ſubjecto: ſecundùm,

dum, ne quis Princeps in ſuâ ipſius ditione librum ullum poſſit interdicere ullâ de causâ, neque impedire, dummodo liber ab ipſis fuerit approbatus, quò minùs in territorio ſuo retineatur, imprimatur ac venundetur, licèt ipſe vel maximè perniciofum rebus ſuis judicet. Hæc autem dum moliuntur, Principatui tribus modis inſignem faciunt injuriam; 1. vetando, aut etiam corrumpendo probatos auctores, utileſque bono regimini; 2. prohibendo libros, quorum prohibitio ad ipſos non pertinet; 3. impediendo ne Magiſtratus civilis poſſit amoliri, quod prævidet damnoſum eſſe legitimæ adminiſtrationi Reipublicæ. Tria hæc præjudicia accuratiùs erunt enucleanda, quò & aptiùs poſſint deſpici remedia.

Ad primum, quod ſpectat interdictionem librorum, qui Curiæ Romanæ non arrident, (etiamſi cætera boni, ſanctique) quia nimirum defendunt Poteſtatem civilem, notiſſimum

eſt, Principem, præſertim cui pacis artes curæ ſunt, hanc in primis veritatem animis populi ſui inſculptam cupere, Principem nempe à Deo conſtitutum eſſe, ac regere auctoritate divinâ, quòd ſubditus proinde ex conſcientiâ teneatur ad obedientiam præſtandam, immorigerus maximè oſtendat Deum, qui eum obligavit ad ferenda publica onera, ſive ea ſint perſonalia in obeundis exercendiſve muniis, ſive realia in ſolvendis tributis, vectigalibus, cæteriſque ejus generis. Alligat conſcientiam peccati, & reſtituendi reus eſt quicunque hæc ferre recuſaverit aut defraudaverit. Princeps enim per legem divinam excellit ſingulis cujuſcunque conditionis hominibus, qui ſub ejus vivunt imperio, habetque jus exigendi cenſum pro cujuſque facultatibus, ubi judicaverit neceſſitatem publicam id poſtulare: Quam verò tranquillum, facile, ac mite fuerit imperium, ubi hæc ſcita prout ſunt veriſſima, ita etiam

ad-

admitterentur, at quanta confusio necesse est obveniat, cùm contrariæ opiniones obtinent, nemo non manifesto videt, nec opus illud pluribus astruêre. Hanc veritatem quam nobis consignatam reliquerunt Prophetæ, inculcavit Christus, prædicarunt Apostoli, abundè quoque docent scripta Patrum, omnesque adeò melioris notæ Theologi, ut creditu necessariam amplectuntur. Quemadmodum autem nullo unquam ævo in Ecclesiâ defuêre, quibus Religio inserviit ad res tantùm terrestres, ita & hoc seculo numerus eorum multò est maximus. Hi sub prætextu spiritalium, sed revera miserâ ambitione, atque opum cupiditate transversùm acti satagunt emancipare sese, quam Principi debent, obedientiæ, quin etiam illi suffurari amorem ac reverentiam subditorum, hos populi affectus in se derivando: quod ut impetrent, novissimè excogitarunt doctrinam, quæ nihil aliud crepat, quam supereminentiam, libertatem,

immunitatem, ac Jurisdictionem Ecclesiasticam: quæ quidem doctrina prorsus ignota fuit seculis antè actis, nec quicquam de eâ scriptum reperire est ante annum millessimum trecentesimum; tum demùm cœptum inspergi libris hic, illic, quædam ejus farinæ, integri autem libri & qui eam solummodò materiam tractarent, non emanarunt nisi duo, usque ad an. 1400, tres autem usque ad annum 1500; post ea tempora auctus aliquantum fuit numerus, ferri tamen potuit. Cæterùm ab Anno 1560, adeò invaluit hæc doctrina, ut jam desinant quicquam scribere (quæ tamen olim uberrima scribendi seges fuit) de mysterio sacrosanctæ Trinitatis, de Creatione mundi, de Incarnatione Verbi, reliquisque fidei admirandis: nec alii jam in Italiâ libri typis mandantur, quam qui deprimunt auctoritatem civilem, in immensum extollunt Ecclesiasticam, eorumque scriptorum numerus penè est infinitus: qui ex plebe litteras norunt,

runt, aliud quod legant non habent: ipſi quoque Sacerdotes aliam doctrinam non callent, nec major ſcientia requiritur ut digni cenſeantur munere, quò funguntur. Hinc perverſa illa opinio increbuit, Principes nimirum, & Magiſtratus eſſe inventionis humanæ, imò tyrannicæ, nec obſequendum illis fore, niſi neceſſitas & vis cogeret; nam datas leges infringere, reditum publicum defraudare, non obſtringere quenquam peccati, ſed tantùm pœnæ, cui ſi quis ſe fugâ aut dolo poſſit eripere, neutiquam propterea reum eſſe coram Divinâ Majeſtate. Contrà verò Eccleſiaſticorum vel nutum, pro Divino præcepto habendum, eoque obligari conſcientiam. Hæc autem doctrina forſan harum turbarum quibus hoc tempore infeſtamur, unica origo eſt. Non quidem deſunt Italiæ viri juxta pii ac eruditi, veritatiſque amantes, ſed illis non conceditur, quod ſentiunt ſcribere, aut typis committere: Aliunde ſi quid affertur, il-

licò prohibetur, immò minùs jam solliciti sunt de inquirendo in hæreticorum libros, præsertim eos qui de articulis fidei agunt; sed si quis scriptor prodeat, qui audeat defendere auctoritatem supremam Principis, aut asserere Ecclesiasticos quoque obnoxios esse imperio civili, næ ille præ cæteris damnabitur atque atrocissimam persecutionem patietur. Præterea in recudendis veterum auctorũ libris, castratos ac mutilos eos nobis exhibent, expunctis quæcunque faciunt pro auctoritate politicâ. Tandem Anno 1607, Romæ liber impressus fuit publico privilegio, cui titulus, *Index expurgatorius*, in quo designantur loca quæ in quibusdam auctoribus erasa cupiunt; unde quilibet cognoscere potest, qualia in plurimis probatis auctoribus aut runcata sint aut immutata, quæ militabant pro auctoritate politicâ Principi à Deo attributâ, ita quidem ut in posterum non liceat affirmare ex lectione istorũ auctorum, quid illi hâc de re sen-

senserint, sed quænam sit sententia Curiæ Romanæ, quæ omnia depravavit. Porrò quod forte cuiquam vix credibile videri possit, nisi ipsi typi testarentur, Pontifex Clemens octavus, Anno 1595, hanc Indici præceptionem adjecit pro Regulâ, nempe, quod omnes Catholicorum libri exarati post annum 1515, possint corrigi ac emendari non solùm delendo ea quæ non consentiunt cum doctrinâ Romanâ, verùm etiam alia superaddendo. Præceptum hoc licet paucis ab hinc annis demùm fuêrit promulgatum, praxis tamen illius cæpit & permansit annos plus minus sexaginta, adeò ut si nihil quidquã reperias in bonis auctoribus, quod patrocinetur Potestati civili, scire licet quisnam expunxerit, sin invenias, quod faveat auctoritati Ecclesiasticæ, jam notum, quis apposuerit, denique possumus certò statuere non dari librum integrum aut non fucatum. Quoniam igitur hoc consilium non aliò tendit, quam ut supprimantur,

aut corrumpantur ejuſcemodi libri, ex quibus homines non mali poſſunt imbui neceſſariâ inſtructione; convenit etiam, ut Magiſtratus civilis invigilet, nec diutiùs iis ſe ſpoliari ſinat ſub ficto prętextu. Verùm ſi quando fuerit quęſtio de prohibendo novo aliquo libro, qui non tractat de articulis fidei, primùm diligenter examinet doctrinam quã continet, ac ſedulò inquirat quamobrem Curia Romana interdictum cupit, priuſquam aſſenſum præbeat. Quando verò agitur de recudendo libro noti atque eximii alicujus auctoris, provideat ne ulla præclara dogmata inde eximantur, neve inſerantur nova, contra mentem auctoris: immò æquum juſtumque foret & ex uſo publico, ut denuò typis mandarentur inſignia multa axiomata, utque in integrum reſtituantur juxta vetera exemplaria incorrupta ex ſenſu auctorum omnes illi libri, in quibus mutata aut deleta ſunt quæcunque vindicabant poteſtatem politicam; & ne per no-

vas,

vas, quas ſubinde miſſitant, prohibitiones eludatur aut enervetur vis contractus, quotieſcunq; recuditur Index an. 1595, imprimatur unà, addaturque in fine tenor hujus contractus: Non ſolùm autem præcavendum circa prohibitionem librorum, ne in Italiâ planè extinguatur omnis bona doctrina, quò apertâ viâ graſſantur, ut hactenus abunde probatum, verùm etiam ne ſub ſpecie recti Inquiſitio ſibi aſſumat auctoritatem, quæ ipſi non competit; dum prohibet libros licet malos, quibus nihil eſt commune cum Religione, quod ſecundum diximus eſſe præjudicium. Declararunt Eccleſiaſtici ſe prohibere libros undecim, de cauſis quarum quinque nihil omnino ad ipſos ſpectant. Harum prima eſt, cùm liber traducit famam alterius, præſertim Eccleſiaſticorum aut Principum; 2. cùm quidquam continet contra libertatem, immunitatem & Juriſdictionem Eccleſiaſticam; 3. cùm ex præceptis politicis aut ſcitis Principum, veterumve

historicorum favet tyrannidi; 4. cùm continet ſcurrilia, jocos, dicteriâ in cujuſcunque conditionis hominem; 5. cùm tractat turpia, nefanda, quæque ſunt contra honeſtatem ac pudorem. Dubium quidem non eſt, quin ejuſcemodi libri meritò damnentur, atque exterminentur, id tamen efficere, non eſt cujuſvis: maxima rerum perturbatio ſuboriretur, ſi unicuique ſtatuere permitteretur, quod noverit optimum factu: hoc decernere pertinet ad publicam auctoritatem, quæ ſola jus habet condendarum legum circa ea, quæ Deus commiſit illius regimini. Meritò laudandus qui pio zelo incitatus impium, quem depræhendit, librum extinctum cupit, verùm procuret hoc ex auctoritate illius per quem legitimè fieri poteſt. Diligentia in quærendo malo ac detegendo, laudabilis utique, at remedium adhibere velle per quem non licet, id verò rem alienam invadere, atque inſignis ambitio eſt. Si quis liber alicu-

jus

jus famam profcindit quantumvis Ecclefiaftici, non pertinet ad Inquifitionem eâ de re juftitiam adminiftrare. Officium illud contra hærefin ftatutum fuit, fed ejus non eft alteriùs exiftimationem vindicare. Magiftratus civilis protector eft ac defenfor famæ, nominifque fubditorum. Attendat gnaviter Inquifitor ne per libros propagetur doctrina contra fidem: cæterùm providit Deus per Magiftratum civilem ne cujufquam bona exiftimatio periclitetur, aut per calumnias impetatur dictis, factis, fcriptifve. Si quando Ecclefiaftici injuriam fibi aut aliis factam autumant, datur implorare opem Magiftratus, & ab illo exfpectare opportunum remedium. Si quid etiam fcriptum invenerint contra libertatem & immunitatem Ecclefiafticam, quâ fruuntur ex privilegiis Principum: Principis eft eam ipfis fartam tectamque confervare, quantum licet ex ufu publico. Infolens & temerarium quid foret, fi omnes, qui

gaudent privilegiis ea sibi propriâ auctoritate asserere vellent: Utinam reperirentur libri damnandi ob præjudicium factum libertati Ecclesiasticæ; ac non tot tantaque obtruderentur volumina, meritissimò rejicienda, quia tam enormiter eam efferunt, ut confundatur omnis gubernatio politica: sed malâ fide ad se trahunt, quod alterius est, faciuntque adeò injuriam ac opprobrium Christi Ministerio, cui cœlestia tantùm debent esse curæ; non verò terrena, quorum dominium aliùs fori mortalibus à Deo concreditum est. Non enim leviùs, imò majùs malum est, eò extendere velle libertatem Ecclesiasticam, ut degeneret in licentiam, quam eam ipsam plus æquo cohibere ac restringere: qui fit autem quod nullus ex his libris censurâ notetur? quia nimirum illam tantopere deprædicant, extenuant autem potestatem civilem: legitima immunitatis conservandæ ratio non petenda est à prohibitione librorum, qui eam justis termi-

terminis includunt, ſed potiùs à prohibitione illorum, qui eam formidoloſam ac ſuſpectam reddunt per affectatas hyperboles. Non quidem inficiandum, ſi quis hâc in parte contra veritatem iret, ſcriberetve, quin Magiſtratus ex officio teneretur jure agere in auctorem, atque ita conſervare decorum, dignitatemque debitam ordini ſacro: ſed ut ipſimet per ſe hanc juriſdictionem exerceant, iniquum eſt. Si quæ ſcripta ſunt politica, deducta ex placitis & axiomatibus Principum aut hiſtoricorum, de iis ſententiam ferre an ſint tyrannica, nec ne, non decet hominem Eccleſiaſticum, ex communi omnium opinione, hoc non niſi ad Principes ſpectat, quorum eſt gubernare res publicas: privatæ ſortis homines ea non capiunt, minùs etiam Chriſti miniſtri, quibus ille graviter interdixit ne ſe ejuſcemodi rebus ingererent. At ſi quis tamen aliquatenus ſe immiſcere velit, ſaltem caveat ne propriâ auctoritate hic quidquam

quam ſibi arroget, ſed ad eum deferat, cujus officium eſt, de remediis proſpicere. Nec hic mihi homines illi avidiſſimi effrænis licentiæ, ut nimis prochdolor manifeſtum, protervè culpent tyrannidis legitimâ poteſtatem à Deo conſtitutam, damnentve doctrinam, quæ ſe opponit eorum conatibus, qui ſub prætextu Religionis vindicant ſibi arbitrium in omnem dominationem. Idem illud tenendum de libris, qui continent inurbanos ſales, argutias ac mordaces jocos, quibus tectè vel apertè quis perſtringitur, aut qui docent pravos mores, luxum, intemperantiam, quæque lædunt exiſtimationem alterius, quorum criminum nullum omnino ad hæreſin ſpectat. Inquiſitor electus eſt Judex fidei, non verò cenſor morum. Ex doctrinâ divi Pauli quies publica, & defenſio honeſtatis concredita ſunt poteſtati civili. Inquiſitio non debet falcem immittere in meſſem alienam: argumentum hoc exactiori probatione non indiget, per ſe

ſe ſatis evidens & captu facile : Ad unam quippe eandemque perſonam pertinet judicare & plectere, facta, dicta, ſcripta, quæ omnia in idem recidunt : nemo in dubium vocare poteſt, quin famam alterius traducere, favere tyrannidi, fovere impudicitiam, tum verbis, tum factis, quin (inquam) hæc ſint flagitia ſpectantia ad forum civile : igitur & delicta patrata ſcripto ad idem pertinent : quâ quæsò ratione poſſit ſibi arrogare cenſuram librorum ob ullam earum quas recenſuimus cauſas, qui ſuâ ſponte fatetur ſe non habere jus cenſuræ in dicta aut facta. Principum miniſtri eò jam ſocordiæ prolapſi ſunt, ut miſere prævaricentur atque infringi patiantur auctoritatem politicam, dum videri volunt favere juſtitiæ decôri ac nominis conſervationi, ſed fortaſſis hoc evenit, quia novum & inauditum quid, hominem Eccleſiaſticum velle prohibere libros aliam ob cauſam, quàm Religionis, quippe nullus omnino Pontifex

id

id attentavit ante Annum 1550, ac proinde hæc machinatio utpote nova, hactenus nondum satis animadversa fuit, sive aliud quid in causâ sit, nimirum quod illi, quibus demandata est hæc cura, per ignaviam subterfugiunt fastidiosum laborem in examinandis libris, atque ita haud invitò transferunt in alium quemcunque qui sese illis molestiis offert. Sed quemadmodum omnis gubernatio postulat vigilantiam atque industriam, quas virtutes si quis negligat, pariter se privat auctoritate, quam serò amissam queritur, cum jam periit, nec ampliùs recuperari potest: Ita Serenissima hæc Respublica, quæ per suos delegatos sedulò inquirit in omnes libros, prælo subjiciendos, ad impediendum nequa doctrina insolens & inepta obtrudatur, optimè novit hanc curam ad Principem pertinere: unde necessariò etiam sequitur, Deputatis illis incumbere diligenter perscrutari, an non libri jam antè excusi, erroris quid contineant

neant quamobrem prohiberi debeat, ne denuò imprimantur. Ad Principem quoque ſpectat, rationem præſcribere, quâ præcaveri poſſit, ne quid mali ſubnaſcatur, ſubortum autem illicò exſtirpetur. Quod ſi jam Princeps ex auctoritate quã à Deo habet, legitimè poteſt interdicere impreſſionem alicujus libri, quia continet blaſphemias contra Divinitatem, aut patrocinatur tyrannidi, offendit pudicitiam, inſtillat pravos mores, aut proſcindit nomen famamque proximi: eâdem etiam ratione, eâdemque auctoritate legitimè illi licet prohibere libros jam impreſſos, in quibus ſimile quid reperire eſt. Index librorum, qui editus fuit anno 1595, receptus eſt auctoritate publicâ per pactum conventum, idcirco quoſcunque notat libros, cenſendi ſunt interdicti abſque ullâ controverſiâ: verùm ſi quid in poſterum Eccleſiaſtici propoſuerint de prohibendo libro ob ullam harum cauſarum, ac re ipsâ liber interdici mereatur,

tur, non permittendum tamen ut ipsi per se hoc faciant, sed laudato eorum indicio, liber prohibendus erit, ex solâ auctoritate politicâ, concessâ illis interdictione cùm tantùm agitur de Religione. Superest tertium praejudicium, novum quidem, sed à quo gravius periculum imminet, ac proinde majori etiam cautione opus habet quam duo illa priora: nam exui propriâ auctoritate, perdere probatos auctores, deploranda quidē damna sunt, at tolerabilia tamen prae hâc injuriâ, ut quis cogatur in suâ ipsius ditione ac imperio volens nolens sufferre librum, quem scit Reipublicae perniciosum fore. Curia Romana, quamvis usurpaverit prohibere libros, etiam ob causas, quae Religionem non tangunt, nec ullo modo ad Ecclesiam spectant, nunquam tamen nisi paucis ab hinc annis eò confidentiae prorupit, ut negare ausa fuerit Principi quoque licere interdicere libros, quos judicat mali exempli esse, ac praebere occasio-

nem

nem ſcandali, ſeditionis turbarumque in ſuo regno. Cardinalis Baronius primus hoc paradoxum procudit, atque audacter aſſeruit, cui poſtquam ſe validè convenienterque oppoſuiſſet Princeps ille, quem propriè hæc tangebant, nemo exinde illas Baronii aſſertiones publicè defendere auſus fuit; ſed quia idem forſan tentari poſſet etiam majori aſtutiâ doloque, alio tempore, aliâ occaſione, quando minùs attendent, quorum id maxime intereſt, materiæ dignitas exigit ut eventum hujus hiſtoriæ breviter enarremus, adjunctâ pariter doctrinâ cum fundamentis, quibus nititur, ac refutatâ in contrarium cavillatione. Hic Cardinalis igitur initio Anni 1605, publici juris fecit tomum ſuum undecimum Annalium Eccleſiaſticorum, cui intexuit prolixam diſſertationem contra monarchiam Siciliæ. Quàm autẽ omnia illa ſecundum hiſtoriæ veritatem fidè relata ſint, non eſt hujus loci dicere, ſed hoc tantùm quod ad rem facit,

cit, nempe narrationem illam prorſus refertam eſſe maledicentiâ ac contumeliis in multos celeberrimi nominis Reges Arragoniæ, præcipuè in Ferdinandum Catholicum, cæteroſque, à quibus paternam ſtirpem deducit, qui hodie imperat Rex. Liber ille ſimul ac Neapolin pervenit, ut & Mediolanum. Proreges illico mandarunt, ne diſtribueretur, neve penes quempiam retineretur, cùm in eo minùs manifeſtò appareret omnibus contumelia quæ in illorum Principem redundabat. De eo certior factus Baronius, ſede tum vacante per mortem Clementis octavi, coëgit Collegium Cardinalium, acriterque invectus eſt in regios Præfectos, quod prohibendo librum ſuum, violaſſent auctoritatem Eccleſiaſticam.. Poſt in Pontificem electus Paulus V, ad Regem Hiſpaniarum grandes litteras dedit ipſis Idibus Juniis ejuſdem Anni ſcriptàs, quibus inter alia decernit Pontificis ſolius eſſe approbare cujuſcunque materiæ libros,

bros, quantò magis ſacros, vehementer expoſtulans, quod Proreges interdixerint Baronii librum in contemptum auctoritatis Eccleſiaſticæ: ſagax ille Rex, ſatiùs ſe facturum exiſtimans, ſi effectis potiùs reſponderet, quam Epiſtolâ, ſilentio publicatam à ſuis prohibitionem ratam habuit, nec unquam revocavit. Cardinalis autem in lucem emittens tomum ſuum duodecimum Anno 1607, cohibere ſe non potuit quin parùm cautè rurſus harum rerum mentionem inſereret, diſertis verbis inferens impium eſſe, & horrendum dictu, hoc infauſtiſſimo noſtro ævo præfectos Regios auſos fuiſſe carpere ſcripta, quæ ipſe Pontifex Maximus approbaverit, quodque interdicant Bibliopolis libros divendere abſque ipſorum veniâ, quam etiam pro libitu negânt, vetantque pro imperio ne diſtribuantur: Inde ſubnectit, hoc illos occipere, quia ejuſmodi libri redarguunt ipſorum injuſtitiam, verùm hoc pacto præripi Petro, & ad

Prin-

Principes transferri unam ex clavibus ipsi à Christo datam, nempe scientiam discernendi, quid expediat, nec ne. Senatus Regius in Hispaniâ ne tum quidem se quidquam dimovit à solitâ suâ gravitate, ac judicii maturitate in deliberando, tertiamque hanc injuriam in tertium annum concoxit: tum demum Anno 1610, Rex publico edicto librum illum planissimè damnavit, prohibuitque, nec minùs apertè perstrinxit Baronium, quam ille ante notaverat Reges proavos ejus, utque edicto majus inesset pondus ac reverentia, promulgatum fuit in ipsâ Siciliâ, procurante ac subscribente Cardinale Doria, inde post per universum orbẽ transmissum fuit. Quod quidem factum, vehementissimè consternavit Curiam Romanam, neque tam ob edictum, quàm quod à Cardinale profectum fuisset. Cæterum in Hispaniâ nihil propterea motum, edictumque manet debitâ observantiâ. Profectò vix dici queat, quanta hæc sit impuden-

tia,

tia, in dominio alterius Principis edere librum contra ipſum Principem ejuſque imperium, ac prætendere licitum eſſe librum illum haberi, legi, venundari, conſcio ac invito Principe, atque hæc omnia tegere velo Religionis, auctoritatiſque à Chriſto Divo Petro datæ: verùm hic prætextus haud difficulter evaneſcet, ſi reſpiciamus doctrinam Catholicam, & praxin ſanctæ Eccleſiæ, è quibus liquet veritas hujus controverſiæ, ac refelluntur putida Baronii argumenta.

Certo certius eſt Petro datas fuiſſe claves Regni cœlorum, plureſque è Patribus ac Scriptoribus Catholicis intelligere claves pluraliter: alteram ſcilicet Cognitionis, alteram Poteſtatis; ſed poteſtatis non univerſaliter ſumptæ, verùm ejuſce, quæ tantùm ſpectat Regnum cœlorum, ac merè ſpiritualis eſt; quippe poteſtas civilis, Regia ac terrena illi diſertè à Chriſto fuit interdicta: ſic de quâ hic agitur ſcientiâ, ea non eſt rerum natura-

liuin

lium aut disciplinarum, multò minùs rerum politicarum, aut moralium: verùm ut Paulus testatur, facti sunt ministri & dispensatores solummodo mysteriorum Christi. Quapropter si auctoritate Ecclesiasticâ liber quis fuerit approbatus in rebus fidei, auctoritate civili non poterit condemnari pro rejectaneo: sin aliâ de materiâ tractat, puta de Jurisdictione, de Imperio, de mercimoniis, quamvis omnes totius orbis Antistites librum quam maximè approbarent, nihil omnino præjudicaret Potestati civili, quin si visum fuerit, rejici possit. Insignis sane hallucinatio est, quia nempe Christus Petro dedit scientiam, ac potestatem Regni cœlorum, cum prohibitione terrenæ, inde velle contra expressum mandatum extendere spiritualia ad res mundanas. Sæpius inculcat Beatus Augustinus, quod gratia non destruat rerum naturam, sed unicuique, quod proprium est, relinquens, superaddat tantùm perfectionem divinam.

nam. Poteſtas civilis ex naturâ ſuâ habet auctoritatem vetandi atque amoliendi, quæcunque tranquillitati publicæ atque decôri adverſa ſunt, proinde etiam libros ac ſcripta, quæ iiſdem repugnant, Chriſtus adventu ſuo nihil horum Magiſtratui ademptum voluit, cujus auctoritate ſalvâ atque intactâ, conceſſit ſolummodo Miniſtris ſuis prærogativam in res ſacras, quæ ſpectant fidem Chriſtianam, quarum nullam à naturâ cognitionem habere poſſumus, ſed à ſolâ revelatione: quocirca illorum non eſt, arrogare ſibi jus approbandi libros, qui nihil ad ipſos ſpectant, aut derogare Magiſtratui auctoritatem ipſi à Deo ac naturâ datam. Allegat Baronius Epiſtolas plurium Scriptorum, qui libros ſuos aut hiſtorias de legibus atque imperiis dedicarunt Pontificibus, eorumque cenſuræ opera ſua ſubjecerunt; atque inde concludit, Pontifici ſoli jus competere approbandi cujuſcunque generis libros, nec cuiquam mortalium licere,

approbatos rejicere aut prohibere: verùm frivola hæc eſt argumentatio ac nugatoria, dum non diſtinguit inter verba quæ reverà obligant, & inter verba quæ ſcribuntur ex ſubmiſſione aut obſequio. Quis unquam librum dedicat non ſolum Principi, verùm etiam homini privato, qui librum illum non ſubmittat ejus judicio, imò cum quâdam dictionis hyperbole: ſi licitum foret, ex ejuſmodi troporum uſurpatione cudere articulos Theologiæ, plurimæ reperirentur Epiſtolæ Dedicatoriæ, quæ eandem auctoritatem aſſcribunt cujuſlibet conditionis hominibus, frequenteſque adeo iiſdem loquendi phraſibus, inſcripti ſunt Pontificibus libri, qui tractant de Medicinâ aut Re litterariâ; Ex illatione igitur Baronii ſequitur Pontificatum eſſe officium de procurandâ ſanitate, aut de explicandis grammaticalibus. Longè aliud certè conſiderandum eſt, in dictis quæ proveniunt ex obſequioſâ humanitate, ac quâdam morum comita-

mitate, aliud ubi agitur de formando, ſtabiliendóve fidei articulo. Sed quoniam Baronius vellicat Proreges ac Satrapas ob interdictionem librorum ab iis factam ſcilicet, quia detegunt ipſorum injuſtitiam, non abs re fuerit ſuper hâc materiâ etiam paucula diſſerere, ne videamur velle patrocinari iniquitati, neu quiſquam arbitretur quoque Cardinali licitum eſſe ſub prætextu juſtæ repræhenſionis, turbare quietem publicam.

Biſariam de commiſſo crimine poteſt inſtitui quæſtio; 1. in Theſi, id eſt, in terminis generalibus, non factâ mentione perſonarum, loci aut temporis. Atque hæc coarguendi ratio ſemper probata utiliſque habita fuit exſtirpandis vitiis: nemini non licet hocce modo libros conſcribere; 2. in Hypotheſi, nempe cùm indicantur perſonæ, aliæque rerum circumſtantiæ, hoc autem nulli permittendum præterquam Judici legitimo. Unicuique licet exempli gratiâ, uſuram exagitare

in genere, ſed carpere privatum aliquem tanquam uſurarium, non pertinet niſi ad Judicem publicum, ſecus facere quid aliud eſſet, quàm confundere res humanas, ac negotia curanda confidere hominibus ineptis. Si generalia ſpectes, nihil propemodum requirunt, præterquam ſtudium & lectionem bonorum auctorum. Specialia verò, propter multiplices varietates ac circumſtantias exigunt præter laborem ſtudiorum, ſingularem prudentiam, atque exquiſitam experientiam. Facile dictu eſt ac probatu, uſurpationem alterius dominii injuſtam eſſe, in eóque campo licuiſſet Baronio quam latiſſimè evagari abſque ullius offenſione atque inculpatè: verùm ubi deflectit ad particularia, & ſic infit. Rex Hiſpaniarum invaſit Regnum Siciliæ, hic ſutor eſt ultra crepidam. Quanquã autem Præfecti Regii Neapolitanus ac Mediolanenſis interdixerint ejus librum, non propterea prohibitam voluerunt reprehenſionem rei inju-

injustæ, sed eo facto damnarunt imprudentiam Censoris, qui pronuntiare ausus fuit, hodiernam possessionem Siciliæ injustam esse, cùm nesciat ad ejusmodi effatum quantâ circumspectione opus sit. Quod si autem Pontifex approbaverit illum librum, quantum ad Jurisdictionem ditionemque Ecclesiasticam attinet, neutiquam improbandum est, si verò censet idem esse intelligendum de aliorum Principum dominiis, ut nemo eorum etiamsi perniciosum suis rebus judicet, eum possit exterminare aut interdicere, istæc vera arrogantia, & invasio in alienam auctoritatem dicenda est, quarum suspicio non cadit in Papam Clementem VIII, Principem nimis prudentem. Quoniam autem Baronius subjungit non licere Præfectis publicis edicere Bibliopolis, ne vendant libros absque ipsorum permissu, quanquam faciant prætextu, ne scilicet occultè sub falsis titulis irrepant etiam hæreticorum libri, quia si hoc me-
 tuunt,

tuunt, Episcopos orandos esse putat, ut congruam ei periculo cautelam adhibeant, perfunctoriè illud quoque attendere operæprecium erit. Ac primùm quidem ut tollatur omnis ambiguitas, tenendum, à nemine unquam fuisse probatum, quod quis fecit sub ficto prætextu, id est, tegendo iniquum velo æquitatis, quia ista dissimulatio probrosa ac omnium perniciosissima est, verùm bonum bono addere, atque per unum, alterum captare, licèt tectum, licèt non indicatum, ut faciliùs impetrari queat, aut quâvis aliâ de causâ: id certè reprehendum non est, cùm ipsi sacri codices ejusmodi exempla innumera suppeditent. Si Magistratus civilis edictum promulget, ne quisquam Bibliopolarum libros venundet, non impetratâ priùs veniâ, addatque causam, se hoc facere, ne simul hæreticorum libri distribuantur, reipsâ verò intendat, non solùm intercludere aditum hæreticorum scriptis, sed omnibus

aliis profanis ac mali exempli, profectò nihil hic in Magiſtratu culpandum eſt, nec æquum ſe præberet Judicem Baronius, ſi invectivis vellet agere tanquam in rem injuſtam: verùm inſulſus multò magis eſt, quando jubet Magiſtratum implorare opem Epiſcopi; quippe nimis defectivum illud eſſet regimen, quod ſibi ipſi non poſſet proſpicere de neceſſariis, ſed remedia haberet exſpectanda ab eo, qui ex uſu ſuo illa exhiberet, non ad publicum commodum. In quæſtione de libris hæreticorum diſtinguendum, aliud eſſe librum aliquem abſolvere, aut condemnare hæreſeos, quod proprium eſt Miniſtrorum Chriſti, nec quidquam hic competit Poteſtati civili; aliud autem eſſe, librum jam ab Eccleſiâ hæreſeos damnatum, publico edicto interdicere, quod adeò proprium non eſt muneris Eccleſiaſtici, quin meritò etiam laudabiliterque fieri debeat ex auctoritate politicâ. Temporibus priſcæ Eccleſiæ libri hæretico-

rum à Conciliis post factum examen, quales essent declarabantur, ab iis autem nõ interdicebantur, verùm à Principe. Primum Concilium Nicenum condemnavit Arrii doctrinam pro hæreticâ: Imperator Constantinus interdixit libros ejus lege Cæsareâ. Secundum Concilium Constantinopolitanum declaravit hæreticum Eunomium. Arcadius Imperator prohibuit libros Eunomianos, ut videre est in Codice Theodosiano. Tertium Concilium Ephesinum hæreseos damnavit Nestorium, & libri ejus fuerunt interdicti per legem Theodosii, quæ est in corpore Legum civilium. Quartum Concilium Chalcedonense Eutuchianos condemnavit, & libri eorum vetiti sunt à Martiano Imperatore, ut eodem illo corpore habetur. Hæc erat praxis usúsque veteris Ecclesiæ, usque ad annum Domini octingentesimum: post ea tempora Pontifices Romani diversâ occasione varios Scriptores declararunt hæreticos: Principes verò

illam declarationem permiſerunt non interpoſitâ ſuâ auctoritate aut lege, non propterea inferendum eſt, ipſos ſemet ſpoliaſſe in poſterum poteſtate prohibendi, quæ Imperio ſuo nocitura judicaverint. Liber hæreticus offendit Eccleſiam, & interturbat tranquillitatem Rerumpublicarum. Primum, utpote ſpirituale pertinet ad Eccleſiaſticum, diſtinguere nempe inter bonos pravoſque libros: politicum autem tanquam protectorem Eccleſiæ, mutuam operam præſtare decet. Secundum verò quod attinet, impedire nimirum ne nova ſubintrent, in perturbationem quietis publicæ, hâc in re Politicus neutiquam debet fidere alienæ diligentiæ, nec ad alium recurrere, ſed ipſemet invigilare, ac quantâ fieri poteſt cautelâ, proſpicere, nequid Reſpublica detrimenti capiat. Denique pro indubitato habendum, licere Politico in ſuâ ipſius ditionê interdicere cujuſcunque materiæ libros, à quocunque etiam approbatos, nec

licêre tantum, ſed ex officio teneri ut attendat quam periculoſum ſit, ſubditos imbui opinionibus quæ adverſantur bono Regimini. Hâc autem occaſione non poſſum non monere, quod, ſicuti maximè conducit Reipublicæ, nullum imprimi librum niſi priùs examinatum, quâ apud nos ſit ſedulitate, ita non minoris fore utilitatis, uſum ac conſuetudinem introducere, ne quis poſthac liber alibi excuſus inferri poſſit, nec venundari abſque prævio examine: nimiùm profectò hallucinamur, ſi nobis perſuademus Reipublicæ noceri poſſe libello hic impreſſo, non autem extraneo aliundè illato atque hic diſtributo: Fateor quidem in excuſis jam ſcriptis poſſe quædam tolerari, quæ non ferrentur in excudendis, ſed ſiquid majoris ineſt momenti, non magis ferendum in impreſſis quam imprimendis. Porrò quemadmodum conſultum eſt interdum circa prohibitionem libri alienæ editionis, id fieri non publicè ſed tectè, admo-

nitis

nitis solummodo Bibliopolis, ne factum videatur ad ostentationem, neve sinistrè quis interpretari possit: ita quoque auctor sim, ut ea ipsa interdictio de libris admodum perniciosis, nonnunquam fiat edicto proclamato, locisque solitis affixo, quò nimirum exerceatur legitima hæc auctoritas, ac præcidatur ansa cavillandi malè feriatis hominibus, qui prohibitionem librorum deferunt ad solos Ecclesiasticos, simul etiam ut populus ei rei assuescat: alioqui si praxis istius auctoritatis differtur in occasionem aliquam urgentem præsentissimique periculi, verendum est ne habeatur pro re novâ, negeturque obedientia.

Antequam huic sermoni finem imponamus, addendum videtur, esse nonnullos, qui absurdissimum illum Baronii errorem propugnare ausi non fuerunt, incidêre tamen in alium aliquanto minorē, concedendo quidem, Principes posse jure interdicere libros seditiosos, impudicos, famosos, susti-

nendo verò illam prohibitionem observandam esse metu pœnæ legalis in transgressorem, non autem ex obligatione conscientiæ, ita ut, quicunque vetitos à Magistratu libros legit clanculum, aut penes se retinet, non propterea reus sit coram Deo. Hæc opinio falsa quoque est, perversa, ac Doctrinæ Christianæ omnimodo contraria. Præcipit enim Divus Paulus, & conceptis verbis inculcat unumquemque obligari ad præstandam obedientiam civili Potestati, non tantùm ob pœnæ timorem, sed in primis ob conscientiam. Quando igitur mandatum exit ab eo qui mandandi auctoritatem à Deo non habet, inculpatè obedientia recusari potest, sin is mandat, qui eâ potestate præditus est, non obtemperantes offendimus ipsam Divinam Majestatem. Si Præsul aut Antistes præcipit quid circa res Politicas, absque peccato licet nobis esse immorigeris, quia hanc auctoritatem à Deo non est adeptus: si verò injungit spiritualia,

tualia, quorum ministerium ipsi commisit Christus his dictis; Qui vobis auscultat, mihi auscultat; qui vos rejicit, me rejicit; tum inobedientia alligat peccati. Affirmat divus Paulus sæpius allegatus, nunquam satis allegandus, quod Deus Principibus concredidit curam quietis publicæ, pietatis atque honestatis: Proinde si quis Princeps prohibeat hunc librum ut seditiosum, illum ut profanum atque impium, alium denique tanquam impudicum, nemo negare potest, quin omnes æquè teneantur obedire, ni velit è diametro Paulo contraire ac sese opponere. Utinam Deus Opt. Max. aperire dignetur plurimorum oculos, ut videant ac consentiant in hanc orthodoxam ac verè Christianam doctrinam, eamque aliis quoque instillare velint exstirpatâ penitus ut nocentissimâ omni doctrinâ huic adversa, tum certè re ipsa experiremur, quam facilè cessarent innumera mala atque incommoda, quæ jam indies magis ma-

gisque augescunt; nam si qui pauci sunt homines probi, quos ad egregia impellit amor virtutis, pars reliqua multò numerosior in duas classes dispesci potest; quorum alii honestè vivunt metu pœnæ spiritualis, alii verò metu pœnæ civilis. Ablato timore spirituali, perit obedientia illorum, qui sperant se culpas suas posse tegere, aut supplicium effugere, gratiâ, favore, aliâve arte improbâ, ut & illorum, qui hanc flocci faciunt, quorum simul omnium numerus multò est maximus. Ex alterâ verò parte videre est quam faciles lubentesque aliqui obtemperent ex metu spirituali. Quoniam igitur Deus Principi largitus est geminum hoc conservandæ obedientiæ instrumentum, timorem nempe legalium pœnarum, tum & conscientiam, ex doctrinâ Pauli; incredibile damnum foret, secundum illud medium non minus necessarium per negligentiam amittere, dum contraria opinio permittitur inculcari ac disseminari contra-

tra doctrinam Catholicam.

Atque hæc hactenus de materiâ librorum, quæ si recolligere libet, ad decem articulos poterunt redigi, ac tenendum; 1. Libros illos qui prohibiti sunt quâcunque de causâ, per Indicem editum Anno 1595, pro interdictis omnino habendos esse, quia tum Princeps consensit; 2. non permittendam esse in posterum ullam interdictionem, cum qualicunque etiam clausulâ, additis licet censurâ & minis, nisi ea priùs fuerit approbata auctoritate publicâ, secundum mutuum pactum; 3. si quando Ecclesiastici petituri sunt assensum publicum, ut sibi liceat interdicere librum qui tractat de materiâ fidei, modò reverà hæreticus sit, reprobè cognitâ, postulatum hoc ipsis esse concedendum; 4. invigilandum sedulò, ne sub prætextu Religionis eliminetur doctrina Christiana, quæ defendit auctoritatem politicam; 5. non concedendam Inquisitoribus prohibitionem ullius libri, nisi ob so-

lam hæresin, sed si quis fuerit rejiciendus aliis de causis, id debere fieri per Magistratum; 6. Libros alibi editos cum quâcumque demùm approbatione, si deprehensi fuerint nocere publico regimini, interdicendos esse à Principe, atque adeò promulgatione edicti, si consultum fuerit; 7. Attendendum ne expungantur è libris recudendis ea quæ patrocinantur Potestati civili; 8. Ut restituantur in novâ editione ex fide vetustorum exemplarium, quæ fraudulenter ex bonis auctoribus deleta sunt, quia inserviunt stabiliendæ auctoritati politicæ; 9. Quando recuditur Index Anni 1595, non permittendum inseri nomen Indicis alicujus posterioris; 10. Cum illo Indice simul imprimendum esse, & ei conjungendum exemplar stabiliti mutuò contractus. Unum adhuc restat in hâc materiâ animadvertendum, non tanti quidem momenti, sed quod tamen meretur aliquam considerationem, hoc nimirum, quod nisi ejusmodi inter-

dictio

dictio dextrè & cum debitâ circumspectione adhibeatur, poterit verti in magnum damnum artis Typographicæ, eorumque qui mercaturam exercent librariam : nam licèt imprimatur liber examinatus ab Inquisitore & Episcopo, ab iisque approbatus, si tamen ubi Romam delatus fuerit, minimum quid in eo invenerint, non contra Religionem, nihil enim leve existimandum quod hanc tangit, sed contra quædam arcana & axiomata Curiæ Romanæ, quæ Inquisitor cùm daret approbationem, non penetravit, illicò condemnant librum cum grandi damno illius qui sumptus Typographicos expendit, cui insonti hic luendum est : atque hæc incommoditas quanquam satis frequens, multò tamen frequentior esset, nisi vererentur Principes tandem recepturos querelas Bibliopolarum de insigni hâc injuriâ. Ex purpuratis enim nemo non, ut gratiam ineat, strenuum se librorum indagatorem ac notatorem præbet,

bet, ad excerpenda ea omnia, quæ vel minimum præjudicii Curiæ Romanæ afferre videntur, etiam in quibus ne umbra quidem præjudicii latet, atque hâc præposterâ diligentiâ utuntur non ſolùm in examinandis libris extra Italiam excuſis, ſed in iis etiam, qui approbationem Inquiſitionis in fronte geſtant, atque adeo in ipsâ urbe Româ impreſſi. Æquum foret, quando quid in libro jam excuſo cum approbatione, deprehendi poſſet, quod offendat Religionem, ut reſtituerentur impenſæ ab eo qui approbavit, Typographus enim hic nihil habet culpæ: Sin verò quid contineat, quod non ſapit Curiæ Romanæ, haud videtur juſtum, ut eâ de causâ concedatur interdictio, idque adeò colligi poſſet ex ipſo illo contractu Anni 1595, in hunc ſenſum: *In poſterum nulli prohibebuntur libri, niſi extranei, aut excuſi abſque veniâ aut cum falsâ approbatione.* Quanquam illud quoque cavillatione poſſet accipi, quod hic non diſertè fiat mentio

tio Religionis, verùm ubi contractus in hujus ſenſum fuerit expoſitus, utique laudandus eſt.

Contenta CAP. XXX.

INquiſitori, non licere imperitare opifici, aut homini profeſſionis mechanicæ.

Contenta CAP. XXXI.

INquiſitori non fore licitum adigere operarios ut in verba ſua jurent.

Capita 30, & 31, quæ tractant de artibus mechanicis ac fraudibus opificum, nunquam ſatis exactè obſervari poterunt, quantacunque adhibeatur cautio. Omnis bene ordinata Reſpublica, quando enorme aliquod facinus admiſſum eſt, ei ſoli examinando, peculiarem Magiſtratum deputat, qui aliis negotiis non diſtrahatur. Hinc in Chriſtianâ Republicâ erectum fuit tribunal Inquiſitionis, quod vacaret ſolis hæreſibus exſtirpandis. Admodum autem proclive eſt, ut qui univer-

ſalem

ſalem habet Juriſdictionem, ad particularem Judicem multa ſæpe transferat, aut ſponte etiam ab eo uſurpari ſinat, idque fieri ſolet eo facilius, quo ille majorē ſibi acquirit auctoritatem, dum ſupremus Judex aliis rebus occupatus interdum ea non attendit, interdum etiam (cùm tardiuſculus aut negligentior eſt,) ad ea connivet, quia hoc pacto ſe ſublevari autumat, adeò ut non ſolum non impediat hanc uſurpationem, ſed tacitus etiam promoveat. Ubi verò Judex particularis ſemel ſententiam pronuntiavit de causâ ad ſe non ſpectante, trahit hoc in exemplum pronuntiandi etiam de aliâ, inde de aliâ, atque ita ex crebris actionibus naſcitur conſuetudo, quæ tranſit in legem, nec poſt abrogari poteſt niſi maximâ cum difficultate. Interea ſupremæ Juriſdictioni hoc quantumcunque detrahitur, ac via ſternitur ad perturbandam Reipublicæ adminiſtrationem. His artibus Inquiſitores hæreticæ pravitatis conati ſunt ad ſe trahere,

here, non solùm diversos casus alîus fori, sed etiam potestatem absolutam in artem Typographicam, aliaque opificia, quod licitum esse sibi, probare nituntur duplici argumento: 1. quod non imperent nova, neque ab officio suo aliena, verùm ea, quæ absque speciali mandato quoque fieri oporteret: ut si exemp. gr. edicant lanio ne vendat carnes tempore quadragesimali, tenetur lanius non vendere, etiam injussus, ita ut mandatum illud propriè aliud non sit quam admonitio debiti; similiter ajunt se non cogere quenquam in verba sua jurare, nisi ob causas, ad quas obligatur etiam injuratus; ut si jurejurando Bibliopolas obstringant, ne venundent libros vetitos, tenentur illi obtemperantes esse absque præstito juramento, adeò ut hoc pacto illis solùm addatur stimulus, quo alacriùs se exsolvant suo debito. Verùm hæc argumentatio planè sophistica est, cùm aliud sit commonitio debiti, aliud mandatum. Concionator & Sacerdos

admo-

admonent abſque uſurpatione alienæ auctoritatis, quia non infligunt pœnam immogeris, neque utuntur caſtigatione ad exigendam obedientiam: illud tantùm eſt docere, non cogere: Imperare verò quippiam, quod ſimul infert ſupplicium in contumaces, quanquam etiam debeatur ſpontanea obtemperantia, actus eſt ſupremæ poteſtatis ac Juriſdictionis, quæ non competit Inquiſitioni niſi in causâ hæreſeos, quâ exceptâ vim facerent alienæ auctoritati; ſimiliter jusjurandum exigere ob rem licet debitam, ad ſolos dominantes pertinet, licet ad eam præſtandam tenerentur vel injurati. Altera ratio quam afferunt, quâque ſibi mirificè placent, magis etiam cavillatoria eſt: Ajunt enim judicationem de hæreſi ex neceſſariâ conſequentiâ habere annexa quæcunque ad eam ſpectant, aut ab eâ dependent, nec verò ſe velle imperare cuiquam, nec à quoquam juramentum poſtulare, nec punire quenquam niſi in cau-

ſis

sis cum hæresi conjunctis: Quoniam autem hæreses imbibuntur è libris, necesse esse ut habeant jus in Bibliopolas, inque omnes adeò, per quorum manus libri distrahuntur, ut punire queant transgressores: Itidem, quia tempore quadragesimali hæretici vescuntur cibis vetitis, credunt licere sibi inquirere in lanios, ac punire quos deprehenderint vendidisse carnes: ad has autem objectiones facilè est respondere, quid æquitas ac justitia postulet. Cui committitur de re aliquâ judicium, illi proculdubio etiam committuntur omnia, quę inseparabili nexu cum eâ re conjuncta sunt. Quidquid itaque eo modo cum hæresi connexum est, existimari debet absolutè spectare ad ipsam Inquisitionem: non autem ea quæ naturâ suâ diversa sunt, aut separatim judicari possunt: alioquin nullum esset delictum, imò nullus actus, quin aliquâ consequentiâ longe petitâ possit commune quid habere cum hæresi. Quod attinet ma-

teriam

teriam librorum illi soli censendi sunt obnoxii hujus officio, qui manifestam continent hæresin, ut & Bibliopolæ, qui ejusmodi libros penes se retinent aut vendunt, quos & ab Inquisitione meritò puniendos esse arbitramur: non tamen hinc sequitur Inquisitori licitum esse pro libitu suo officinas librarias perscrutari, Catalogos librorum exigere, vendendi potestatem à se petendam esse, sibi arrogare, aliaque ejus generis quibus sæpe tentant onerare Bibliopolas. Similiter non urgente necessitate vesci cibis, qui certis anni tempestatibus prohibiti sunt, indicium est animi alienati à fide, & quando plures circumstantiæ concurrunt, Inquisitio jure potest agere contra reum, verùm hoc nihil attinet ad eos, qui carnes vendunt aut apparant: illorum enim unicus scopus præsupponitur spes lucri, sed quia lucrandi aviditas sæpenumero ita exorbitat ut peccet in bonos mores & contra decorum, si quis ita avarè hanc artem exerceat,

ut præbeat ſcandalum in illum (cùm delictum illud non ſit hæreticum) Magiſtratus animadvertere poterit, ne factâ quidem, fidei aut doctrinæ mentione, atq; ita providere ut optimè viſum fuerit pro incolumitate atque decoro Religionis, urbiſque: ſic autem habebit etiam Inquiſitio, quo exerceat ferventem ſuum zelum, indicando nimirum Magiſtratui, ſiqua incommoda, aut inhoneſta pullulare viderit, ac proponendo opportuna remedia, quibus malis his occurri poſſit, ſimul procurando debitam pœnam tranſgreſſoribus, verùm viâ ordinariâ per juſtitiam civilem, ad quam ſolam hæc pertinent.

Contenta CAP. XXXII.

INquiſitori non concedi, dare præcepta aut monita communitati cuipiam, neque juſdicenti.

Quod attinet Caput hoc 32, non permittendum Inquiſitioni ut monitoriis agat contra communitates, ne-

que contra juſdicentem ratio ſatis eſt manifeſta, quippe hæreſis crimen eſt perſonale: poſſet autem fieri ut ſingula membra alicujus ſodalitii, aut hæreſi infecta, aut ſuſpecta ſaltem forent, ſodalitium verò ipſum, nunquam: proinde ſi quæſtio eſt de delicto, non poteſt agi in reos, niſi quatenus perſonæ ſunt privatæ. Si verò quæſtio eſt de ſtatutis, aut ordinationibus à communitate quâdam factis, eò ſe non extendit auctoritas Inquiſitionis, niſi per Reipublicæ delegatum, cui à Principe conceſſa eſt imperandi poteſtas. Similiter Judex poteſt ſemet reddere ſuſpectum hæreſeos dictis aut factis privatim, nunquam autem eâ actione quâ adminiſtrat atque exercet juſtitiam, in quam non cadit ſuſpicio hæreſeos, ut propterea actiones ejus judiciales poſſint eſſe obnoxiæ Inquiſitioni, ſed manent illæ ſubjectæ ſuperiori denique Principi. Si quando itaque eveniret, ut per illas impediretur Inquiſitio in exercendo munere ſuo, proxi-

proximum esset ut per Legatum Reipublicæ obstaculum illud amoliri curaret, ut si Inquisitor quempiam sisti sibi postularet tanquam reum, aut adduci in testem, qui à Judice certam ob causam publicæ custodiæ traditus esset, neutiquam permittendum est, ut Inquisitio possit exigere à Judice, ut captivus ille dimittatur; verùm de eo prospicere, officium est Magistratus, idemque dicendum de omnibus actionibus judicialibus, uti sunt conventiones, dilationes, revocationes, ne hisce se immiscendi locus detur Inquisitioni.

Contenta CAP. XXXIII.

INquisitoribus non fore licitum, promulgare edictum, quod contineat plura quam sex ordinaria Capita.

Quantum ad Caput hoc 33, de edicto, usus olim obtinuit, quando alicubi fundaretur officium Inquisitionis, ut primùm ederetur edictum quod in-

digitabant gratiæ, quo intra certum temporis ſpatium ad pœnitentiam invitabantur hæretici ſub promiſſione condonationis: elapſo autem præſcripto termino, promulgabant aliud edictum, quod nuncupabant Juſtitiæ, quo commonebantur quicunq; noſcerent, aut ſcirent uſpiam latentem hæreticum, ut ſine morâ eum deferrent; noſtro autem ævo diverſimode hâc in re actitatum fuit. Aliqui Inquiſitores, cùm ablegarentur quibus locis jam ante Inquiſitio fuerat introducta, ſimul auſpicarentur munus ſuum, unà promulgarunt ambo hæc edicta, quod tamen rariùs contigit. Alii promulgarunt ſolùm ſecundum illud juſtitiæ, alii verò ſæpius illud idem edictum reiterarunt, eo fine ut nova quædam adderent pro re natâ. Quod ſi jam Inquiſitori cuipiam viſum fuerit publicare edictum illud gratiæ, nihil prohibere refert, quippe neque præjudicio eſt auctoritati civili, neque oneri, ſubditis. Præcavendum tantùm de

edicto

edicto justitiæ, quia ibi sæpe conantur inserere mandatum aliquod ad Bibliopolas, caupones, aut cubiculorum locatores, teguntque se hoc velo, quod nempe aliud nihil intendant, quàm præmonere, quos oportet. Hoc autem illis concedendum non est, monere enim per Edictum, proclamationes, aut affixas publicè tabulas, notat supremam Potestatem, & per legem constat, quod cui competit jus commonendi per edictum, eidem quoque competere jus puniendi delinquentes. Itaque non concessâ illis animadversione in inmorigeros, neque concedi potest commonitio per edictũ. Quod attinet blasphemos, quos nominant hæreticos, idem hic observandum quod Cap. 21, eâ de re dictum fuit. Quantum verò ad illos qui offendunt Ministros Inquisitionis, aut delatores ac testes, sedulò attendenda est annexa limitatio, nimirum si obveniat propter operam officio præstitam, ne introducatur abusus quidam sæpe ab

Inquisitoribus tentatus, quo vellent ipsi per se justitiam exercere in suos ministros, inque omnes adeò, qui semel istius officii examen subierunt, nec non punire singulos, qui eos offenderint quâcunque de causâ. Hæc enim clausulâ, *propter opera spectantia ad hoc officium*, removet omnem ambiguitatem: Si quis offendat ministrum illius officii, reus compellandus erit coram Judice ordinario, nec permittendum judicium Inquisitioni, nisi probè constet offensionem esse illatam propter ipsummet officium. Poterit similiter quis absque circuitione, quâcunque aliâ de causâ citare ejusmodi ministros ad forum ordinarium, & præcipuè ob eam de quâ sermo erit Cap. 39.

Contenta CAP. XXXIV.

CAsus qui ruri obveniunt, aut in pagis, determinandos esse in urbibus, quibus illi subsunt.

Sapien-

Sapienter admodum ab Excellentissimo Concilio Decemvirûm statutum fuit, ut in civitatibus deciderentur causæ subortæ in pagis aut castellis, quemadmodum liquet hoc Capite 34. Alioqui enim occasio daretur amovendi Assistentium præsentiam, quando Inquisitoribus liceret formare processus in pagis aut castellis, quia clanculum etiam formare possent, atque hoc pacto incurrere in præjudicia & incommoda illa, quæ delegatorum præsentia amolitur, impeditque.

Contenta Cap. XXXV.

SI quis casus nascatur in loco qui caret proprio Inquisitionis tribunale, reum deducendum eò loci, cui prior ille subjacet in spiritualibus.

Non minùs providè, quàm necessariò decretum fuit, hoc quoque Caput 35, quod omnem tollit disceptationem inter Repræsentantes, quo ad forum cui sistendus est reus, cumque

etiam faciat pro Inquiſitore hâc in parte, quod ille commodiùs cauſam poſſit inſtituere, ubi locorum ipſe reſidet, aliud hic conſideratione dignum haud occurrit.

Contenta Cap. XXXVI.

Contumaces proſcribendos in perpetuum, aut ad tempus prout viſum fuerit Inquiſitioni.

Contenta Cap. XXXVII.

Ex ſententiâ Inquiſitorum procedendum contra eos, qui ex illorum carceribus aufugerint.

Neque hæc duo Capita, multa indigent animadverſione, cùm tantùm agant de pœnâ meritò irrogandâ reis, quæ ab officio infligi non poteſt, facitque adeò pro fide, quando contumaces atrociùs puniuntur.

Con-

Contenta CAP. XXXVIII.

SIqui quæſiti alibi, aut citati propter hæreſim in hoc dominium confugerint, captos per quatuor annos mancipandos peculiari carceri, ſeparato ab aliis.

Pœna, quàm Caput 38, imponit iis qui alibi citati huc confugerunt, non intelligi debet impoſita propter delictum, quæſitus enim aut citatus, alibi etiam aliter potuiſſet puniri, ac proinde per decretum, quoque licitum eſt Inquiſitioni quâcunque aliâ pœnâ in eos animadvertere: Porrò ſolent Inquiſitores ſe invicem certiores facere, ſi quando hæreſeos ſuſpectus aut citatus ex unâ in aliam ditionem aufugerit, itaque ſiquis in hoc dominium confugiſſet, ſimul ac reſciret Inquiſitor ex ſententiâ officii, ſuffragante quoque Principis delegato, fugitivus ille apprehenſus in carcerem conjiceretur, contra quem tum indicia proferenda eſſent ex ſtatuto Capitis 16:

unde alterutrum ſequeretur, nempe ut vel abſolveretur reus, vel condignâ pœnâ afficeretur. Quidquid autem futurum ſit, Reipublicæ viſum eſt, ut accuſatus hæreſeos incarceratione plectatur ob id ſolùm, quod accuſatus huc confugerit, & ſtatutum illud neutiquam negligendum eſt, quippe teſtatur piam Sereniſſimæ hujus Reip. adminiſtrationem, quâ non ſolùm dominium ſuum purgatum eſſe cupiunt ab hæreticis, verùm etiam ab accuſatis aut ſuſpectis illius pravitatis, ſimul, eis adimere omnem ſpem in hoc ſtatu mitioris conſequendæ conditionis, quàm uſquam alibi experiri poſſent.

Contenta CAP. XXXIX.

CAlumniatores falſoſvè teſtes ab Inquiſitione puniendos eſſe, ſi conſtiterit de falſitate ex ipſo proceſſu alioqui tanget illud Rectores.

Ultimum Caput de Calumniatoribus

bus falsisque testibus, magni est momenti, non tantùm ad conservandam propriam Jurisdictionem illibatâ alienâ, quantùm ad defensionem ac tutelam subditorum, quos si Princeps opprimi sinat neglectâ curâ sibi à Deo commissâ, gravissimè profectò Majestatem divinam offenderit. Longo usu compertum est, officium hæreticæ pravitatis rarissimè punire calumniatores aut falsos testes, imò potiùs excusare quantùm possunt, ubi vel tantilla excusationis species apparet, idque sub velo charitatis, ajunt enim, non debere præsupponi, cùm quæstio est de fide, quemquam hominem Christianum malâ intertione velle agere, quod si tamen interdum in aliquem animadvertere coguntur propter evidentem nimis falsitatem, levissimam tantùm ingerunt pœnam, eamque spiritualem, ne alii gravitate supplicii deterreantur à deferendo aut testando, unde necessario (inquiunt) multa manerent occulta quæ jam deteguntur,

magno cum fidei emolumento: Hæc autem exceptio justáne sit nec ne, nunc non inquirimus. Verùm illud considerandum, ingentis esse levaminis ac solatii misellis illis qui falsis calumniis appetuntur, ubi noverunt aliud sibi patere forum in quo calumniatores falsique testes meritò afficiuntur supplicio, quandoquidem in hocce illud fieri non soleat. Nollent quidem Inquisitores ejusmodi reis dari potestatem confugiendi ad aliud tribunal, idque publicis scriptis declarant, hoc freti argumento, quod nimirum injuria illata est ipsorum tribunali, cujus debitam reverentiam infregit falsidicus, ac proinde ab ipsis quoque eam esse vindicandam, imò ne quidem de eâ judicium ferri posse nisi ex actibus in officio hoc formatis, quos æquum non est ad aliud forum mitti: contrà verò sentiunt alii doctores, cùm neque calumnia, neque falsum testimonium, hæresis dici possit, non spectare quoque ad Inquisitionem, sed ad forum ordi-

ordinarium cui ſubeſt calumniator aut falſùs teſtis; præſertim quia ejuſmodi facinoroſi mulctandi ſunt non ab Inquiſitore pœnis ſpiritualibus, verùm à Judice ſupplicio legali, linguâ nempe aut capite. Nonnulli Juridici conſultiſſimi, utriuſque partis rationes laudant, diſtingunt autem inter calumniam falſumve teſtimonium, quod apparet ex proceſſu jam formato ab officio Inquiſitionis abſque ullâ aliâ innovatione, ut quando teſtis (quod ſæpe evenit) ſuâ ſponte retractat quæ ante dixerat, veniam culpæ deprecatus, aut aliis in cauſis, ubi ex ipsâ proceſſus inſpectione illud fit manifeſtum, ac tum quidem ejuſce rei judicium arbitrantur pertinere ad Inquiſitionem, valeréque Inquiſitorum argumenta : ſed ſi ex ipſo proceſſu non liquet de calumniâ, ac novâ inſtantiâ, novâque lite agendum eſt, tùm judicium ſpectare ad forum ordinarium, quod liquidò evincitur rationibus allatis, quia nimirum calumnia &
fal-

falſitas non ſunt hæreſes, neque crimina Eccleſiaſtica, ſed merè politica, nec neceſſe eſt examinare primum proceſſum, quia actio de integro inſtituitur: quæ quidem ſententia ſequenda videtur, utpote rationi maximè conſentanea atque ab affectibus partiumque ſtudiis remotiſſima.

FINIS.



CON-

Confessio Fidei,

Quæ fundamentum est veræ Religionis.

I.

PLANISSIME' persuasi sumus, nullam omnino habendam esse rationem auctoritatis humanæ, cùm de Fide agitur, quippe quæ solâ Verbi Divini auctoritate niti debet; prout mandatum est, Ezech. 20. v. 18. 19. *In statutis Patrum vestrorum non ambulabitis. Ego sum Iehova Deus vester; ambulate in meis statutis, ac jura mea observate, eáque facite.*

II.

Credimus etiam impossibile esse, ut quisquam hominum capiat illud Verbum Dei, nisi priùs fuerit illuminatus per Spriritum Sanctum; ut docemur, 1. Cor. 2. vers. 14. *Homo animalis*

malis non capit, quæ sunt Spiritus Dei, sed Deus ea nobis revelat per Spiritum suum.

III.

Credimus insuper Deum nunquam denegare gratiam sui spiritus ei, qui ex animo certâque cum fiduciâ, illam expetit; prout scriptum est, Lucæ 11. vers. 13. *Si vos qui estis mali, nostis bona dona dare vestris liberis, quantò magis Pater ille cœlestis dabit Spiritum Sanctum, petentibus ab ipso.* Item: *Quidquid petieritis, credendo obtinebitis.*

Verùm ista petitio oportet conjuncta sit cum timore Dei, animoque obfirmato in exequendâ Dei voluntate, quamprimum eam certò cognoverimus, sive id honori nobis sit apud homines, sive ignominiæ, sive damno, sive emolumento; scriptum enim est, Joh. 7. vers. 17. *Siquis voluerit facere voluntatem Dei, cognoscet de doctrinâ, utrum ex Deo sit, an verò ego ex me ipso loquar.*

Illis

Illis autem, apud quos honor hujus mundi tanto in pretio eſt, ut propter fidem nullum incommodum pati ſuſtineant, illis (inquam) rectè objici poteſt, Joh. 5. verſ. 44. *Quomodo poteſtis vos credere, quum gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæratis.*

De iis verò, qui ſpreto Dei timore, vivunt in peccato contra propriam conſcientiam, ſcriptum legitur, Johan. 14. verſ. 17. *Mundus non poteſt recipere ſpiritum veritatis.*

IV.

De Deo.

Credimus porrò & profitemur unicum eſſe verum Deum, Patrem cum Filio & Spiritu Sancto; quia ſcriptum eſt, Deut. 6. verſ. 4. *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter ſolus eſt Dominus.* Et verus iſte atque ſolus Dominus ſemet declaravit eſſe Patrem, Filium & Spiritum Sanctum; quemadmodum ſcri-

ptum

ptum est, Matth. 28. verf. 19. *Ite igitur ac docete omnes gentes; baptisantes eas in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et *Divus Iohannes* affirmat, quod, *qui negat Filium* (ut negant Judæi & Turcæ) *ille nec Patrem novit.*

V.

De Creatione.

Credimus & confitemur unicum illum & verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ex nihilo creasse cœlum & terram, ac reliqua omnia; secundum illud, Gen. 1. verf. 1. *In principio Deus creavit cœlum & terram.* Et Joh. 1. verf. 3. *Omnia facta sunt per Verbum,* hoc est, per Filium Dei. Item, Coloss. 1. verf. 16. Hebr. 1. verf. 2. *Cœli facti sunt per verbum Domini, & totus eorum exercitus per halitum oris illius.*

VI.

De Prædestinatione.

Credimus & confitemur, quemadmodum

modum Dominus Deus omnia creavit, ita etiam ea quasi manu suâ regere ac conservare secundum beneplacitum suum; quia scriptum est, Act. 17. vers. 28. *Per illum vivimus, & movemur, & sumus.* Item, Psal. 115. vers. 3. *Deus noster in cœlo est, fecit omnia quæ voluit.*

Cùm itaque possit creare, quodcunque libet, potest etiam prohibere & impedire, ne fiat quod fieri non vult, ita ut nihil eveniat absque illius permissione, ut docemur, Matth. cap. 10. vers. 29. *Nonne duo passerculi veneunt asse, nec tamen ullus eorum in terram cadet sine Patre vestro.*

Sciamus itaque nihil creaturarum nobis posse nocere absque Dei voluntate, qui nunquam quicquam permittet, quin *cedat in nostrum usum, ac bonum.* Rom. 8. vers. 28.

VII.

Credimus & confitemur, Deum, quæcunque facit aut permittit, prævidisse,

diſſe, & ab æterno decreviſſe ut ea faceret aut permitteret; quippe ſcriptum eſt, Act. 15. verſ. 18. Epheſ. 1. verſ. 11. *Deo nota ſunt à ſæculis opera ſua.* Et Gen. 50. verſ. 20. *Vos quidem mala contra me in animo habuiſtis, Deus autem convertit in bonum, ut efficeret quod hodie videtis*, nimirum, *ut vitam conſervaret numeroſo populo.* Adhæc, Act. 4. v. 27. *Profectò congregati ſunt adverſus Sanctum Filium tuum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſraëlis, ut facerent quæcunque manus tua tuumque conſilium prius decreverant ut fierent.*

VIII.

De lapſu Angelorum ac Hominum, itemque de origine Peccati.

Credimus & confitemur peccatum, licèt ſine Dei permiſſione non fiat, à Deo tamen non provenire, ſed à Diabolo, ejuſque Angelis, qui in principio à Deo creati boni, poſtquam ſuâ ſponte ab eo defecêre, ſeduxerunt & pri-

primos parentes noſtros, adeò ut ipſi quoque à Deo deſciverint, ſeque & poſteros voluntariè præcipitaverint in peccatum & mortem, cùm ab initio creati eſſent ad imaginem Dei & æternam beatitudinem: ſicut ſcriptum eſt, Geneſ. 1. verſ. 31. *Et vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce valdè bona erant.* De diabolo autem Chriſtus ait, Johan. 8. verſ. 44. *Non perſtitit in veritate, quoties falſum profert, de ſuo loquitur, quia mendax eſt, & pater mendacii.* De hominibus autem legitur, Gen. 1. v. 21, Epheſ. 4. verſ. 24. Coloſſ. 3. verſ. 10, *Et Deus creavit hominem ad imaginem ſuam*; hoc eſt; ut agnoſceret Deum in juſtitiâ & ſanctitate. Ad hæc, Geneſ. 3. verſ. 13. *Serpens ſeduxit me*; hoc eſt; *Diabolus, Draco ille antiquus qui ſeducit totum mundum*, Apocal. cap. 12. verſ. 9. Item, Rom. cap. 5. verſ. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Item, Gen. 6. verſ. 5. & cap. 8. verſ. 21. *Omnes machinationes & cogitationes cordis humani*

mani depravatæ sunt omni tempore. Item: *Omnes naturâ sumus filii iræ.*

IX.

Credimus insuper, introducto jam in mundum peccato per Diabolum atque homines, Dominum Deum ex justo suo judicio, sæpius peccatum punire per peccatum, & impium per alterum nefarium; interdum etiam castigare suos dilectos per peccata sceleratorum hominum, quarum rerum plura exempla extant in sacro Codice: sic habetur de paganis ac superstitiosis, Rom. 1. vers. 23. 24. *Mutarunt gloriam Dei incorruptibilis, in simulacrum hominis corruptibilis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium, quapropter etiam Deus eos tradidit cupiditatibus cordium suorum ad impuritatem, ut fœdarent propria corpora suâ in semetipsis.*

Et de Simei maledicente Regi suo, dicit ipse David Rex, 2. Sam. cap. 16. vers. 11. *Sinite, maledicat, quia Dominus hoc ei injunxit.*

X.

De pœnâ istius Lapsus.

Credimus & profitemur, Dominum Deum in æternum rejecisse Diabolum atque ejus Angelos, ut nunquam veniæ locum habituri sint, aut in gratiam redire possint: quia scriptum est, Matth. 25. vers. 41. *Apagete maledicti in ignem æternum, præparatum Diabolo ejusque Angelis.*

XI.

Credimus & confitemur, Deum & nos meritissimò potuisse rejecisse, cùm æquè ab eo defecerimus, ac mali Angeli, ejusque mandatum transgressi fuerimus, quod tam graviter interminatus erat, ne transgrederemur; Genes. 2. v. 17. *Quo die comederis de fructu arboris, morte morieris.* Quod intelligendum non solummodo de morte temporali, sed etiam æternâ, quæ est sempiterna illa pœna, ac dolores in stagnò ardente igne & sulphure.

XII. De

XII.

De Redemptione Generis Humani.

Verùm enimvero Deus usus infinitâ suâ misericordiâ, condonatâ culpâ, recepit nos denuò in gratiam, ac potiùs quàm totum periret humanum genus, maluit pro nobis dare Filium suum unigenitum, ut scriptum est, Johan. 3. vers. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut dederit Filium suum unigenitum, ne quisquam eorum, qui credunt in eum, pereat, sed habeat vitam æternam.*

XIII.

Et illud quidem factum secundum æternum consilium ac propositum Dei; quemadmodum scriptum est, 1. Petr. 1. v. 19. 20. *Redempti estis pretioso sanguine Christi, tanquam agni immaculati, ordinati ante jacta mundi fundamenta, manifestati autem ultimis temporibus.*

XIV. Post-

XIV.

Poſtquam igitur ex miſereſcente Dei Prædeſtinatione Filius ejus futurus erat noſter Mediator, oportuit ut fieret homo, id eſt, ut aſſumeret naturam humanam, ut in eâ mori, & per mortem pro nobis ſatisfacere poſſet; ſicut ſcriptum eſt, Hebr. c. 2. verſ. 14. 15. *Quoniam igitur pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe etiam particeps factus eſt eorundem, ut per mortem deſtrueret, penes quem erat imperium mortis, nempe Diabolum, & liberaret quotquot timore mortis per totam vitam erant ſervituti obnoxii.*

XV.

Et hoc eventurum Deus promiſerat ab initio, Gen. 3. verſ. 15. *Semen mulieris conteret tibi caput.*

XVI.

Sed demum adimpletum fuit ultimis temporibus; ut ſcriptum eſt, Gal. cap. 4. verſ. 4. *Quando tempus illud im-*

pletum fuit, Deus misit Filium suum genitum ex muliere (nempe virgine Mariâ) *& subjectum Legi.*

XVII.

De Personâ Christi.

Credimus igitur de Christi Personâ, quod non tantùm sit homo, ut credunt Arriani, sed quod sit æternus & omnipotens Dei Filius, qui cùm priùs tantùm esset Deus, assumptâ ultimis diebus naturâ humanâ, factus est Deus & homo simul, talisque manebit in æternum; quia scriptum est, Johan. 1. vers. 1. *In principio erat Verbum*, (hoc est, Filius Dei) *& Verbum illud erat Deus.* Et vers. 14. *Filius Dei, per quem creavit mundum, quique sustinet omnia potenti verbo suo, assumpsit semen Abrahæ.* Et Philip. cap. 2. v. 5. 6. Jesus Christus *cùm esset in formâ Dei, non duxit rapinam, æqualem se Deo exhibère, verùm semetipsum exinanivit, sumptâ servi formâ similis factus hominibus, & habitu inventus ut*

homo

homo ipſe ſe ſubmiſit, fuitque obediens uſque ad mortem, immo mortem crucis. Et Hebr. 2. verſ. 17. *Ideo oportuit eum in omnibus fieri ſimilem fratribus.* Et Hebr. cap. 4. verſ. 15. *Tentatus fuit in omnibus, excepto peccato.*

XVIII.

Cùm igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtùs ſit Deus pariter & homo, credimus quoque de eo diſſeri poſſe tanquam de Deo & homine. Tanquam de Deo, quippe Deus eſt & ratione Deitatis: de homine autem utpote qui homo eſt, & ratione humanitatis. Exempli gratiâ, Scriptura ita de eo loquitur, Mich. cap. 5. verſ. 2. *Exortus ejus jam inde à principio.* Et alibi habetur, quod natus ſit in plenitudine temporis ſive ultimis temporibus, Gal. 4. verſ. 4. 1. Petr. 1. verſ. 20.

Utrumque veriſſimum eſt, alterum ſecundum Deitatem, alterum ſecundum humanitatem, ut diſertè docent Apoſtoli. *Factus eſt de ſemine Da-*

vidis ſecundum carnem, (id eſt, ſecundum humanitatem) *declaratus autem Filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum*, id eſt, ſecundum divinitatem, Rom. cap. 1. verſ. 3. 4. Et B. Petrus: 1. Petr. v. 18. *Morte quidem affectus ſecundum carnem, vivificatus autem per ſpiritum.*

XIX.

De officio Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Quantum ad officium Chriſti, credimus eum eſſe Servatorem noſtrum, qui ſuâ morte nos Deo reconciliavit, quam reconciliationem olim ipſe annuntiavit, atque hodie etiamnum fidelium animos per prædicationem de eâ certos reddit, in eâ conſervat, conſervabitque in æternum; quippe ſcriptum eſt, 1. Timot. 1. verſ. 15. *Ieſus Chriſtus venit in mundum, ut ſervaret peccatores.* Et Rom. cap. 5. v. 8. *Chriſtus mortuus eſt pro nobis, cùm adhuc eſſemus peccatores.* Et 2. Cor. 5. verſ. 19. *Deus erat*

erat in Christo reconcilians sibi mundum, non imputans illis suas offenssas, posuitque in nobis sermonem illum reconcilationis. Et Johan. 10. verſ. 28. *Ego do vitam ovibus meis, nec unquam peribunt, nec quiſquam eas rapiet è manu meâ.*

XX.

De ſtatu præſente Ieſu Chriſti.

De ſtatu Chriſti hodierno credimus, eum corpore non ampliùs eſſe in terrâ, ſed quod poſt quadraginta dies ex quo reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlos, ibique ſedet ad dexteram Dei, utpote cui Pater dederit omnem potentiam ac imperium in cunctas creaturas in cœlis & in terrâ ad noſtram conſolationem, quodque inde venturus ſit noviſſimo die, judicare vivos & mortuos; quia ſcriptum eſt, Johan. cap. 16. verſ. 28. *Relinquo mundum & vado ad Patrem.* Et Johan. cap. 20. verſ. 17. *Aſcendo ad Patrem.* Et Luc. cap. 24. verſ. 51. *Sejunctus ab illis, ſub-*

latus est in cœlum. Et Heb. 9. v. 24. *Introiit in cœlum, ut jam compareret in conspectu* Dei *pro nobis.* Et Matth. 26. v. 11. *Vos quidem semper habebitis pauperes vobiscum, me autem non semper habebitis.* Et Ephes. 1. vers. 20. *Deus eum collocavit ad dextram suam in cœlis supra omnem principatum ac potestatem, virtutes ac dominatum.* Et Matth. 28. vers. 18. *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terrâ.* Et Col. 3. vers. 1. *Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est sedens ad dexteram Dei.* Et Act. cap. 1. vers. 11. *Hic Iesus qui à vobis profectus, receptus est in cœlum, ita veniet ut conspexistis discedentem.* Et Act. 3. c. vers. 21. *Quem oportet cœli contineant usque ad tempus restaurationis omnium rerum de quibus Deus loquutus est per os sanctorum Prophetarum inde à principio.*

XXI.

Adhæc credimus, licèt Christus jam nobis non sit præsens corpore secundum humanitatem suam, nihilominus

nus ſemper nobis adeſt, aderitque ſecundum divinitatem, cùm ipſemet dixerit, Matt. 28. v. 20: *Ecce ego ſemper ſum vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi.* Et Matth. 18. 20. *Vbi duo aut tres congregati erunt in nomine meo, ibi ſum in medio illorum.*

XXII.

Et hæc quidem Chriſti præſentia maximè nobis proficua eſt, & conſolationis plena: nam dum adeſt nobis divinâ ſuâ omnipotentiâ, poteſt rebus noſtris afflictis ſuccurrere atque opitulari, etiamſi abſit corpore, quemadmodum Centurio Capernaita de eo planè hoc ſibi perſuaſum habebat, Matth. 8. verſ. 8. *Domine* (inquiens) *non ſum dignus ſub cujus tectum intres, ſed profer tantum unicum verbum, & puer meus ſanabitur.* Atque hæc fides ſummopere à Chriſto comprobata fuit hoc elogio, verſ. 10. *Amen dico vobis, ne in Iſraël quidem tantam inveni fidem.*

XXIII.

Illud inſuper pro certo habemus, quod qui credit Chriſtum, non poſſe opitulari niſi præſens ſit corpore, non ſolummodo imminuit omnipotentiam ejus divinam, verùm etiam credendo præſentiam illam corporalem, aufert maximam partem noſtræ conſolationis. Johan. cap. 16. verſ. 7. *Niſi abiero* (inquit Chriſtus) *Conſolator ille non veniet ad vos*. Et Apoſtolus Paulus ad Hebr. Heb. 8. v. 4. *Si foret in terrâ, ne Sacerdos quidem eſſet*, hoc eſt, non eſſet reconciliator & Advocatus noſter apud Deum.

Sed ô miſeros nos mortales, niſi Chriſtum haberemus pro Patrono, & Spiritum Sanctum pro Conſolatore. Ideo Dominus noſter Jeſus Chriſtus ait, Johan. 16. verſ. 6. 7. *Quia hæc vobis locutus ſum, triſtitia cor veſtrum implevit. Sed veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego abeam, quia niſi abiero, Conſolator non veniet ad vos; ſi autem abiero, dimittam eum ad vos.*

Cùm

Cùm igitur Spiritus Sanctus nobiscum ſit, ſcimus & ipſum Chriſtum nobis adeſſe; prout docemur, 1. Johan. cap. 3. v. 24. *Per hoc cognovimus, ipſum manere in nobis, nimirum per Spiritum, quem nobis dedit.*

XXIV.

Nec propterea divellimus unionem duarum in Chriſto Naturarum, etiamſi non ſit præſens per humanam, ubicunque locorum eſt per naturam divinam. Perſonalis enim unio non requirit ut natura humana æquè ſit infinita & ubique præſens, quemadmodum eſt divina; alioquin ſequeretur, quod dum Chriſtus fuit in terrâ, id eſt, ultra triginta quatuor annos; aut non fuerit revera facta unio duarum in eo naturarum, aut verò quod falsò ſcripſerint Euangeliſtæ, Chriſtum non fuiſſe in omnibus locis ſecundum naturam ſuam humanam, ſed modò in utero matris, modò in præſepi, modò Bethlehemi, modò in Ægypto, modò

Nazarethi, Canæ in Galilæâ, in Bethaniâ, in monte olivarum, in Prætorio, nunc in cruce, nunc haud procul inde in ſepulchro & extra illud; in horto prope Jeruſalem, in Galilæâ, in monte, infrà, & ſuprà, &c. Denique Jeſus Chriſtus eſt ſemper Homo-Deus in unâ Perſonâ individuâ, licèt membris corporeis non ſit, ubicunque exiſtit per omnipotentiam divinam.

XXV.

De Efficaciâ mortis Chriſti.

De Efficacitate mortis Chriſti hoc credimus, quod, licèt illa quidem ſit reconciliatio peccatorum totius mundi, ex ſententiâ D. Johannis, tamen non proſit niſi ſolis in Chriſtum credentibus; ſcriptum enim eſt, Joh. 3. verſ. 16. *Vt quicunque credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Item, Marc. cap. 16. *Qui non credet, condemnabitur.* Immo, *Ira Dei remanet ſupra ipſum*, Joh. 3. verſ. 36. quæ ex naturâ

manet omnes homines, ut Scriptura testatur; *Sumus ex naturâ Filii ira.*

XXVI.

De Iustitiâ Fidei.

Quicunque igitur credit in Christum, ex animo confisus Deo, quod ab eo jam sit adoptatus in filium & hæredem vitæ æternæ per meritum Jesu Christi, ille ab omnibus peccatis suis repurgatus, ita justus habetur, ac si nunquam legem Dei fuisset transgressus; prout scriptum est, Rom. 3. vers. 22. *Iustitia Dei per fidem est Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt.*

Et illud, idem est, quod mox sic exprimitur, Rom. 3. vers. 28. *Homo justificatur absque operibus legis,* (hoc est, absque merito, immò ex solâ gratiâ) *per fidem.*

XXVII.

De signis veræ Fidei.

Hanc autem Fidem, & fiduciam in Deo repositam habeamus, nec ne, an vero ore tantũ Christum profiteamur instar hypocritarum, aperte declarant opera nostra charitatis; quippe scriptum est, Gal. 5. vers. 6. *In Christo Iesu nec circumcisio, nec præputium quicquam valet, sed fides operans per charitatem*, Et 1. Joh. cap. 5. vers. 3. *Hæc est charitas Dei* (inquit D. Johan.) *ut observemus mandata ejus.*

Et hæc est charitas proximi, non nocere cuipiam, sed potius benefacere, quantum in nobis est; prout scriptum est, Rom. 13. vers. 10. *Charitas proximum non afficit malo.* Item, 1. Johan. 3. vers. 16. *Sic & nos debemus vitam deponere pro fratribus.*

XXVIII.

Et profectò ubicunque vera in Chri-

Christum Fides in animis hominum radices egit, nec in linguâ solummodò consistit, ibi nunquam non se conspicuam præbet per charitatis opera: non enim fieri potest, ut quis credat Deum pro se dedisse Filium, nec similiter accendatur amore in Deum, ac desiderio efficiendi quod gratum illi fore novit; prout scriptum est, 2. Cor. cap. 5. vers. 14. 15. *Charitas Christi nos constringit ut qui certò statuerimus, si unus pro omnibus mortuus est, igitur omnes sunt mortui: & ille quidem mortuus est pro omnibus, ut qui vivunt, non sibi posthac vivant, sed illi qui pro iis mortuus & suscitatus est.*

Si quis igitur profitetur se credere in Christum, perque ipsum salutem sperare, mancipium interea peccati, talem nos negamus habere fidem aut spem de quâ hic agitur; quia Scriptura docet, 1. Joh. cap. 3. v. 3. *Quicunque hanc spem habet, purum se conservat, sicut & ille purus est.* Item, 2. Cor. 5. v. 17. *Si quis est in Christo, ille est nova creatura.* Item, Gal. 5. vers. 24. *Qui verò sunt Chri-*

Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus.

XXIX.

Et, hoc est, novum illud fœdus Dei cum hominibus, cujus toties fit mentio in Sacrâ Scripturâ, nimirum quod Deus jam erga nos sit benignus & misericors propter amorem Domini nostri Jesu Christi, quodque ob tantam gratiam illi perpetuas gratias agere, ac fideliter inservire debeamus, ita quidem ut qui hæc negligit, nec ea procurat quantum in se est, frustra speret hanc gratiam atque misericordiam, quæ iis solùm reservatur, qui sunt observantes illius fœderis, quique memores mandatorum, ea gnaviter exequuntur. Psal. 103. v. 18. Sed Deus impium sic alloquitur. Psal. 50. vers. 17. *Quid tibi est recitatio decretorum meorum, quid assumptio fœderis mei in ore tuo, cùm tu oderis disciplinam & rejeceris post tergum mea verba.*

Ita ut quicunque hæc præstabit pro captu

captu ſuo, idque ſedulò ac ſeriò quantum per infirmitatem licebit, cùm illo longanimis Deus non ſolùm utetur patientiâ, verùm inſuper dabit ut per gratiam Spiritus Sancti multò plura præſtare poſſit; prout ſcriptum eſt, Matth. 25. verſ. 29. *Omni habenti dabitur, & eo abundabit àmplius; ab eo verò qui non habet, etiam quod habet, tolletur.*

XXX.

De origine Fidei.

Credimus etiam Deum inſtituiſſe concionem verbi ſui, ut per eam propagaret Fidem in Chriſtum Jeſum, quia ſcriptum eſt, Rom. 10. v. 14. 15. *Quomodo credent in eum, de quo nihil audierunt, quomodo verò audient abſque docente, & quomodo docebunt, niſi miſſi fuerint?* Ergo, *Fides eſt ex auditu, auditus autem per Verbum Dei.* verſ. 17.

XXXI.

Adhæc credimus (ut antè dictum

est) hominem post lapsum ita esse corruptum, ut doctrinam Euangelii prorsus capere nequeat, nedum recipece aut amplecti, nisi Deus ipsi viam præparet, cor ejus aperiendo; ut Scriptura testatur, 1. Cor. 12. vers. 3. *Nemo Iesum potest dicere Dominum*, (id est, habere pro Domino & Servatore suo) *nisi per Spiritum Sanctum.* Et Joh. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

XXXII.

Proinde certissimum hoc nobis est, Fidem nimirum singulare donum esse Dei; quemadmodum scriptum est, 2. Thess. 3. vers. 2. *Non omnium est Fides.* Item, Ephes. 2. vers. 8. 9. *Gratiâ estis servati per Fidem, neque hoc ex vobis, Dei donum est; non ex operibus, nequis glorietur.*

XXXIII.

Donum autem illud Deus, cui vult, largitur; quippe scriptum est, Rom. 9. vers. 18.

verſ. 18. *Cujus vult miſeretur, quem autem vult, indurat.*

XXXIV.

Nec propterea Deus in quenquam injurius dici poteſt; omnes enim peccaverunt; ac proinde omnes etiam, ut indurarentur, commeruêre: adhæc reperiuntur plurium indole tam perverſâ, tam pervicaci, ut videntes nolint videre, atque ita merentur ineluctabilem indurationem, quæ & proculdubio illis obveniet; prout ſcriptum eſt, 2. Theſſ. 2. verſ. 10. 11. 12. *Quia veritatis amorem non receperunt, ut ſalvi fierent, ideo Deus mittet illis efficaciam erroris, ut credant mendacio, ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed ſibi complacuerint in injuſtitiâ.*

XXXV.

De Fidelium gratuitâ Electione.

Credimus, quibuſcunque à Deo donata eſt Fides, illos etiam ad vitam æter-

æternam electos esse; ut scriptum est, Act. 13. vers. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

XXXVI.

Et vice versâ quotquot sunt ordinati ad vitam æternam, illos etiam amplexos esse Fidem in Christum, cum obfirmato animi proposito ita in posterum vivendi ut Christianum decet, ex præscripto illo, Eph. 1. vers. 4.5.6. *Elegit nos in Christo ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati, in conspectu ejus in charitate, cùm nos prædestinaverit in adoptionem filiorum per Iesum Christum pro beneplacito voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, quâ nos sibi dilectos reddidit in suo dilecto.*

XXXVII.

Sapit igitur impietatem, quod quidam argutantur; si à Deo electus sum, beatus fuero, etiamsi faciam quidquid libuerit. Si enim Deus te elegit ad beatitudinem, etiam te elegit ad sanctimo-

ctimoniam vitæ, ut sis inculpatus coram illo in charitate.

XXXVIII.

Præterea quos Deus elegit ad vitam æternam, eos etiam præservat, ne incidant in perniciosos errores aut infidelitatem perpetuam; scriptum enim est, Matth. cap. 24. vers. 24. *Si fieri posset, seducerent etiam electos*: quibus verbis Christus evidenter testatur, illud esse impossibile.

XXXIX.

Non possunt igitur electi perire, cùm Dei potentiâ ad salutem serventur per Fidem.

XL.

Quæ quidem maxima consolatio est filiorum Dei, quod nimirum possint dicere cum Apostolo, Rom. c. 8. vers. 37. 38. *Certus sum, neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque Principatus, neque Potestates, neque præsentia,*

neque

neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque rem ullam aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

XLI.

Adhæc credimus, quod quicunque scire desiderat, an sit in numero electorum, nihil opus habeat, ut inquirat in arcanum Dei consilium: nam hoc pacto nunquam quod quærit inveniet: verùm si scire cupit, credat in Jesum Christum, & tum de eo certus esse poterit; omnes enim credentes sunt electi; ut scriptum est, Tit. 1. v. 1. *Fides est Electorum Dei.* Promissum etiam illud nequit intercidere, nempe, ut *qui credunt in eum non pereant, sed habeant vitam æternam.* Joh. cap. 3. vers. 16.

Hinc sequitur, ad confirmandam in nobis magis magisque electionem nostram gratuitam, necesse esse ut indies bene agendo promoveamus, hoc enim faciunt electi, quod B. Petrus innuit his verbis, 2. Petr. 1. vers. 10. *Studete*

dete fratres vocationem & electionem vestram firmam reddere, hæc enim si feceritis, nunquam impingetis.

XLII.

Quanquam autem Fides nostra interdum in nobis deprehendatur admodum exigua, desperandum tamen non est: *Christus enim arundinem quassatam non confringet, nec ellychnium fumigans extinguet*, Esa. cap. 42. vers. 3. Et apud Johannem ipse dicit. *Qui ad me venit eum non ejiciam foras*, Johan. 6. vers. 37.

Quisquis igitur expetit esse beatus, eo ipso accedit ad Christum. Esto itaque bono animo, dummodo flagrans hoc desiderium in te sentis, licèt fides tua sit vel minima; verùm cui desiderium hoc deest, næ ille electionem suam parvi pendit. Præterea etiamsi aliquando enormibus peccatis circumventi fuerimus, ne tamen unquam animum despondeamus, multi enim electi graviter lapsi sunt, ut B. Petrus, qui

ipsum

ipſum Chriſtum abnegavit; fuit nihilominus & permanſit verus Dei Electus, quod teſtatus eſt ſyncerâ reſipiſcentiâ. Quiſquis igitur peccavit, imitetur hoc exemplum Petri, id eſt, agnoſcat ſua peccata, & pœnitudine ductus confugiat ad gratiam illam quæ eſt in Chriſto, abſtinens in poſterum à malo, & Deus proculdubio anteacta condonabit; ſcriptum enim eſt, Ezech. cap. 33. verſ. 11. *Ne vivam (inquit Iehova) ſi delector morte impii, ſed revertatur improbus à viâ ſuâ, ut vivat.* Item, 1. Joh. cap. 2. verſ. 1. 2. *Si quis peccaverit, habemus Advocatum apud Patrem*, nempe, *Ieſum Chriſtum illum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Item, Rom. cap. 5. verſ. 20. *Vbi redundavit peccatum, ibi ſuperabundavit gratia.*

XLIII.

De Sacramentis.

Hoc fine Deus, non ignarus quam ſimus fragiles naturâ, & ad increduli-

tatem propensi, non solum verbo suò manifestè declaravit hanc in Christo gratiæ promissionem, verùm insuper confirmavit eam, obsignavitque visibilibus signis, quæ vocantur Sacramenta, ut non tantùm auribus, sed ipsis etiam oculis, atque adeò cunctis sensibus perciperemus, paternum hunc affectum erga nos.

De Baptismo.

Ac primò quidem sacrâ Baptismi ablutione confirmavit promissa hæc, quod nimirum propter mortem ac profusum Christi sanguinem nos habeat pro lavatis, purisque ab omni peccatorum maculâ, quodque mentem nostram magis magisque renovare velit per Spiritum Sanctum, ut peractâ hic vitâ inculpatâ probâque tandem obtineamus æternam felicitatem. Quod hoc ipsum Baptismus declaret qui proinde indigitatur lavacrum regenerationis quia purgat à peccatis, atque ita beatis reddit, non quod Baptis-

mus hoc præſtet per ſe, ſed quod evidenter demonſtret, atque fidelibus ob oculos ponat hæc dona, hanc gratiam Dei. Idque firmiter credimus; quia ſcriptum eſt, 1. Petr. 3. 21. *Non ablutio immundiciei carnis*, ſed fœdus bonæ conſcientiæ beatos facit. Quod fœdus confirmatur per Baptiſmum, quemadmodum ſub Veteri Teſtamento Deus illud obſignârat per Circuncifionem, cui ſucceſſit Baptiſmus; ut Scriptura teſtatur, Coloſ. 2. verſ. 11. 12. *Eſtis circumciſi in Chriſto, cum quo etiam ſepulti eſtis per Baptiſmum.*

XLIV.

Quemadmodum igitur antiquitus circumciſio nuncupabatur fœdus Dei, quippe ſignum erat fœderis, & ſigillum juſtitiæ, quæ eſt per fidem; prout ſcriptum eſt, Geneſ. 17. verſ. 10. *Hoc eſt fœdus meum*: & paulò poſt, verſ. 11. *Hoc erit in ſignum fœderis inter me & te*: & alibi. Rom. cap. 4. verſ. 11. *Abraham accepit ſignum Circumci-*

cumcisionis in sigillum Iustitiæ Fidei: sic itidem Baptismus vocatur lavacrum regenerationis, proinde etiam fœderis Dei, cùm signum sit & sigillum divinæ hujus gratiæ, cujus tam certò sumus participes, quam certò recipimus ipsum Baptismum secundum factam nobis promissionem. Marc. 16. vers. 16. *Qui credet & baptisatus fuerit, servabitur; qui verò non credet, damnabitur.*

XLV.

Qui credet tali nimirum fide, quæ operatur per charitatem, Gal. cap. 5. vers. 6. *Nam in Christo nec circumcisio nec præputium ullius momenti sunt, sed Fides operans per charitatem.*

XLVI.

Ad hoc etiam specialiter nosmet obstringimus in Baptismo, ut nempe per totam vitam grato simus animo, utpote participes fœderis Dei; prout scriptum est, Rom. 6. vers. 2.3.4. *Nos qui mortui sumus peccato, quomodo*

adhuc in eo vivemus. An ignoratis quotquot baptisati sumus in Iesum Christum, in mortem ejus esse baptisatos; ut quemadmodum Christus suscitatus est ex mortuis ad gloriam Patris, ita & nos ambulemus in novitate vitæ.

XLVII.

Quicunque igitur sic se componit, ille verè renatus est ex Deo; qui autem secus vivit, non potest dici natus ex Deo, licèt sit baptisatus; prout Scriptura docet, 1. Joh. 3. v. 9. 10. *Quisquis est natus ex Deo non peccat, quia semen ipsius Dei manet in illo, nec potest peccare, quia ex Deo natus est. In hoc manifestè sunt Filii Dei & filii Diaboli; quisquis non operatur justitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.*

XLVIII.

De Christianorum liberis recens natis ita credimus: Sacrosanctum eorum Baptismum neutiquam esse prætermittendum, quæcunque occasione legi-

ligitimè haberi poteſt ex inſtitutione Chriſtianâ; quia ſcriptum eſt, Act. cap. 2. verſ. 39. *Promiſſio facta eſt vobis liberiſque veſtris.* Eâque de causâ Beatùs Petrus, verſ. 38. *Baptiſetur* (inquit) *unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti.*

XLIX.

Hanc autem dicimus Chriſtianam inſtitutionē, quando concionator quis, aut Dei Interpres haberi poteſt, qui ſimul fungitur baptizandi munere, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus nemini officium baptizandi conceſſit, cui non pariter injunxerit, docere; quemadmodum ſcriptum eſt, Matth. c. 28. verſ. 19. *Ite docete omnes gentes, baptizantes,* &c.

L.

Quod ſi verò infans morte præriperetur, antequam ad Concionatorem deferri, aut Concionator ad ipſum poſſet accedere, nequaquam propterea illum periiſſe credimus; ſcriptum

enim eſt, Geneſ. 17. verſ. 7. *Ego tibi Deus ſum & ſemini tuo poſt te.*

Hâc Dei promiſſione fruuntur omnes credentes, quanquam aliqui externo ſigno deſtituantur, cùm Deus eam nihilominus efficaciter adimplèat ut patet in Johanne Baptiſtâ; de quo ſcriptum legimus, Luc. 1. v. 15. quod *fuerit repletus Spiritu Sancto, in ipſo matris utero.*

LI.

Hoc modo igitur Deus per Baptiſmum confirmat ſtabilitque promiſſionem ſui fœderis cum nobis liberiſque noſtris, remittendo nempe noſtra peccata, ac donando Sp. Sanctum, vitamque ęternam propter mortem Domini noſtri Jeſu Christi, ut autem certiores ſimus de hoc fœdere, tantique beneficii memoria nobis aſſiduè renovetur, placuit cum miniſterio verbi ſui conjunctim inſtituere ſacroſanctam cœnam, quâ fœderis illius fundamentum, nempe mors Chriſti ſæpius no-

bis velut antè oculos exhibeatur, perpetuaque in animis credentium illius recordatio conſervetur; prout ſcriptum eſt, Matth. 26. verſ. 26. Marc. cap. 14. verſ. 22. Luc. 22. verſ. 19. & 1. Cor. c. 11. verſ. 23. *Dominus Ieſus eâ nocte quâ proditus fuit, accepit panem, actiſque gratiis fregit & dixit; Accipite, edite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei commemorationem. Itidem accepit calicem poſtquam cœnaſſet, dicens; Bibite ex eo omnes, hic calix eſt novum pactum per meum ſanguinem; hoc facite quotieſcunque biberitis ad mei commemorationem.*

Propriè itaq; loquendo, Cœna Domini noſtri eſt quædam reminiſcentia mortis Jeſu Chriſti, & recordatio fœderis Dei cum hominibus, ut ipſe Chriſtus declarat his verbis; *Facite hoc in mei memoriam.* Item: *Hic calix eſt Novum Teſtamentum*: quaſi diceret, volo hæc mandata mea ſervari.

Primò, ut recordemini atque omnimodo ſitis perſuaſi me reverà pro

vobis corpus meum cruci affigendum tradidiſſe, ſanguinemque pro peccatis veſtris fudiſſe, ſive ut ſtabiliam novum pactum, quo Deus vobis promittit remiſſionem peccatorum. Spiritum Sanctum vitamque æternam, quæ bona vos tam certò manent, quàm reverà editis de hoc pane, atque bibitis ex hoc poculo.

Secundo, ut ineffabilis amor iſte meus erga vos, quo corpus meum in mortem dedi, ſanguinemque pro vobis fudi, 1. Cor. 10. v. 16. 17. per totum terrarum orbem deprædicetur, digniſque laudibus efferatur, tùm ut vos in mei honorem piè ſanctéque vivatis, atque vos invicem ex animo diligatis, deque uno pane edendo, ſitis etiam *unum corpus*, unus ſpiritus, una anima. 1. Cor. 12. verſ. 12. 13.

LII.

Hanc eſſe mentem inſtitutionis Chriſti, quodque eam ob cauſam panem indigitaverit corpus ſuum, nempe quia

pe quia ordinaverat illum in memoriam corporis ſui, non autem quia panis reverâ in ſe continebat corpus illud. Certò certiùs credimus, quoniam in totâ Scripturâ nuſquam legere eſt, quod corpus Jeſu Chriſti ſit aut unquam fuerit in pane, hoc verò legitur, quod Chriſtus, quâ horâ inſtituit primam cœnam, diſcubuerit cum diſcipulis ad menſam, Matth. 26. v. 20. Marc. 14. verſ. 17. Luc. 22. verſ. 14. non autem quod occultatus fuerit ſub pane: nunc verò poſtquam aſcendit in cœlos, docet Sacra Scriptura, eum non eſſe ampliùs in terrâ, Hebr. c. 8. v. 4. proinde nec in pane; nec Chriſtus unquam dixit: in hoc eſt corpus meum, alioqui abſque minimâ hæſitatione crederemus illius omnipotentiæ; verùm *accepit panem*, de quo pronunciavit; *Hoc eſt corpus meum.* Eſt igitur panis corpus Chriſti, & non aliud quid in pane abſconditum. Atqui ſciant omnes Chriſtiani, quod panis realiter non ſit corpus Chriſti,

cùm non ſit natus ex Mariâ virgine, nec paſſus pro nobis in cruce. Hæc verba itaque, *Hoc eſt corpus meum*, non poſſunt plenè intelligi, niſi adjungantur ſequentia, *Facite hoc in mei memoriam*: ex quibus tunc quivis facilè capiet, quam ob rationē Dominus noſter *panem* nuncupaverit *corpus ſuum*, & quonam modo *panis* ſit *corpus* illius, nempe per modū recordationis aut memoriæ.

Porro hæc eſt natura Sacramentorum, ut ſigna vel memoria beneficiorum Dei, (ſive illa ſint terrena ſive cœleſtia) ipſo beneficiorum nomine vocentur, quemadmodum circumciſio appellatur fœdus Dei, cùm ſit ſignum fœderis: ita Baptiſmus dicitur lavacrum regenerationis, quia eſt ſignum regenerationis & fœderis Dei. Agnus Paſchalis dicitur *Paſcha*, Exod. cap. 12. verſ. 12, 13, 14, & 21. id eſt, tranſitus, cùm ſit ſignum & recordatio tranſitus Angeli, cùm intactas præteriret domos Iſraëlitarum in Ægypto. Exod. 13. verſ. 9.

Hoc

Hoc igitur modo in omnibus Sacramentis usitato, in hoc etiam Sacramento Sanctæ Cœnæ signum corporis Christi nuncupatur corpus Christi. Idque optimè comprobatur hac verborum convenientiâ, quæ habentur in institutione tùm Agni Paschalis, tùm Cœnæ Dominicæ, non secus ac si Christus iis, quasi digito agnum illum voluisset monstrare, dicereque; Quemadmodum olim Agnus Paschalis institutus fuit in memoriam liberationis Ægyptiacæ: Sic ego jam institutuo Cœnam, in memoriam liberationis ab inferno. Nam ut Deus fatur de Agnello; Exod. 12. vers. 5, 8, 11, 12, & 14. *Accipite, edite, illud est Pascha,* id est, *Transitus Iehovæ, dies hic vobis erit in memoriam:* Ita Christus loquitur de pane cœnæ; *Accipite, edite, hoc est corpus meum, facite hoc in mei commemorationem.* Similiter, Exod. 13. vers. 9. *Sic tibi erit in signum ad manum tuam, & in monimentum inter oculos tuos.*

Quo sensu etiam dicitur de Calice;

 Hic

Hic Calix eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine; quæ voces itidem nequeunt intelligi, niſi ex interpretatione ſubſequente; *Facite hoc in mei memoriam*: nam ſi eas velis capere verbotenus, Calix intelligendus eſt, eſſe in ſanguine, & non contrà. Calix quoque futurus eſt Novum Teſtamentum, id eſt, ipſa peccatorum remiſſio, quod nemo unquam ſanus dixerit.

LIII.

Certiſſimum igitur eſt voces in cœnâ prolatas, *Hoc eſt, corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, quæ dicuntur de pane & vino, non eſſe intelligendas ex ſenſu literarum, verùm ſecundum explicationem Domini noſtri; *Hoc facite in mei memoriam*; quaſi diceret; Sumite, edite, panis eſt corpus meum, id eſt, hic panis vobis erit monumentum corporis mei, quod pro vobis tradidi. Quæ interpretatio præterquam quod ſit ipſius Chriſti, pleniſſima etiam eſt omnis ſolidæ conſolationis.

Cùm enim Cœna sit ordinata in memoriam corporis Christi in mortem traditi, sanguinisque illius in remissionem peccatorum fusi, cùmque sciamus insuper Christum hæc signa nequaquam dedisse in vanum, omnino persuademur ea recipere in Cœnâ, hâc fide Filium nempe Dei verè pro nobis esse mortuum, nobisque acquisivisse vitam æternam. Quam fidem quisquis habet, re ipsâ edit & bibit de corpore & sanguine illius, qui solus beatos facit. Qui enim edit & bibit corpus & sanguinem Christi eo modo, id est, qui animo recipit, ac retinet firmiter hanc consolationem, eâque potitur atque exultat, quod nimirum Christus pro se mortuus sit, ille nunquam esuriet nec sitiet, sed post hanc vitam fruetur æternâ felicitate: ut Christus ait, ubi ipsi sermo est de ho ipso edere ac bibere. Joh. 6. vers. 35 *Qui venit ad me nequaquam esuriet, & qu credit in me, non sitiet unquam.* Joh. 6. vers. 54. *Qui edit carnem meam, & bibit*

ſanguinem meum, habet vitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in ultimo die. Johan. 6. verſ. 56. *Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

De corporali autem manducatione carnis ſuæ ſic ait, Joh. 6. verſ. 63. *Caro nihil prodeſt.* In vanum igitur homo in eo ſe ſollicitat, quod rejicitur à Chriſto, qui diſertè articulum aſcenſionis ſuæ in cœlum opponit carnalibus hiſce cogitationibus, inquiens, Joh. cap. 6. verſ. 62. *Quid ſi ergo videritis Filium hominis aſcendentem eò ubi priùs erat.*

Quemadmodum igitur certus eſt ille articulus de aſcenſione Chriſti in cœlos, ita certa quoque eſt conſequentia, quam ipſe inde elicit, nimirum, quod ore corporeo non poteſt ſumi, nec edi.

LIV.

De externis Sacramentorum Ceremoniis.

Ceremonias Sacramentorum credimus nemini mortalium licere immutare, sed faciendum esse, prout Christus præivit, quippe dicit. Johan. cap. 14. vers. 15. *Si me diligitis, observate mandata mea.* Hinc est quod liberos nostros non permittimus baptizari aliter quam in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti, quia nec aliter præcepit aut instituit ipse Christus. Matt. cap. 28. v. 19. *Ite & docete omnes gentes, baptizantes* eos *in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti.*

Verùm Dominus noster non injunxit ut in Baptismo uteremur his verbis, apage spiritus immunde, proinde nec pronunciamus, neque necesse est proferre cùm nusquam legatur in totâ Sacrâ Scripturâ, quod infantes antè Baptismum habeant Diabolum,

imò liberi fidelium ſanctificati ſunt per gratiam, licet per naturam omni ſanctitate ſint privati; prout ſcriptum eſt, 1. Cor. 7. verſ. 14. *Alioquin liberi veſtri impuri eſſent, nunc verò ſancti ſunt.*

Similiter in Sacrâ Cœnâ adminiſtrandâ, non utimur hoſtiis (ut loquuntur) ex decreto Pontificis Romani, verùm genuino pane, ſicut de Chriſto memoratur, Matth. 26. v. 26. Dum cœnabant, accepit *panem*, &c. ſic neque panem diſtribuimus integrum, prout Papa præcepit de hoſtiis ſed frangimus panem prout Chriſtus in mandatis dedit. Matth. 26. v. 26. 1. Cor. 11. *Ieſus accepit panem, & fregit, dixitque; hoc facite in mei commemorationem*, nimirum quod templum corporis ejus, pro nobis deſtructum fuit. Johan. cap. 2. verſ. 19, 20, & 21.

De Sacrilegâ Decalogi imminutione.

Quemadmodum credimus de ceremo-

remoniis Sacramentorum quod nemini fas ſit eas immutare, ſic etiam credimus de Lege Dei, nulli mortalium hic licêre quidquam innovare, detrahere, aut adjicere; quia ſcriptum eſt, Deut. cap. 4. verſ. 2. *Ne addite ad verbum illud quod præcipio vobis, neque detrahite de eo.*

Homini itaque Chriſtiano fas non eſt detruncare Decalogum; quod tamen fecit Pontifex Romanus, cùm propter commodum ſuum expunxit præceptum de non faciendis imaginibus, ne plebs perſentiſceret imagines ejus atque idola à Deo eſſe prohibita.

Epilogus.

Hæc eſt noſtra fides, quâ planiſſimè perſuaſi ſumus per Verbum & Spiritum Dei, perire nos non poſſe, dum ipſi adhæremus, eamque operibus demonſtramus. Precamur itaque Dominum Deum Patrem noſtrum fidelem, ut, cùm nobis ſit largitus ſingularem hanc ſui cognitionem, propter

quam

quam nunquam illi ſatis dignas gratias agere poſſumus, alios etiam velit illuminare, qui adhuc verſantur in errorum tenebris. Certè ſi quis Deum timet, attenditque ſedulò ad ea quæ antè dicta ſunt, ex propriâ conſcientiâ adigetur honorem Deo tribuere, ejuſque verbo aſſentiri; ut ſcriptum eſt, Joh. 8. verſ. 47. *Qui Deum habet, audit illius ſermonem.* Item, Hebr. cap. 4. verſ. 12. *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, ac penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingit uſque ad diviſionem animæ ſimul & ſpiritus, compagumque & medullarum, & dijudicat cogitationes & conceptus cordis.* Item, Pſ. 94. verſ. 15. *Iudicium revertetur uſque ad juſtitiam, & poſt illam erunt recti corde.*

FINIS.

